De vocis *urbanitas* apud Ciceronem vi atque usu

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores rite capessendos
consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis
in alma litterarum universitate
Friderica Guilelma Berolinensi

scripsit

Eva Frank
Essendiensis

Dies Promotionis: a. diem IV Id. Dec. MCMXXXII
Examen rigorosum habitum est a. diem VI Id. Iul. MCMXXX

Ad ordinem rettulerunt:

Prof. Dr. Eduard Norden
Prof. Dr. Werner Jaeger

Hofbuchdruckerei Gotha

EDUARDO NORDEN

DOCTISSIMO • URBANISSIMO

SACRUM

Conspectus capitum.

De vocabuli *urbanus* apud vetustiores scriptores Latinos vi atque usu egit F. Heerdegen, Über Bedeutung und Gebrauch des Wortes *urbanus* im älteren Latein. Eine historisch-semasiologische Untersuchung. Erlangen 1918. Collectis omnibus locis, quibus *urbanus* et verba derivata et composita occurrunt a Plauti aetate usque ad Livium, distinxit Heerdegen inter duas praecipue significationes, quarum altera, quae localem habet vim, aut ad urbem universe attinet ruri oppositam aut ad urbem Romam proprie spectat ab oppidis et municipiis quoque distinctam (12 s.). Altera autem significatio, quam praeter ipsum verbum *urbanus* semper habent composita *inurbanus*, *perurbanus*[1]) et substantivum *urbanitas*, remota genuina quae ad locum pertinet vi eruditionem litterarum scientia expolitam atque facetiarum elegantiam indicat. Quem usum nova ratione explicavit Heerdegen (26 ss.). Non enim translatum appellavit ut ceteri viri docti, lexicorum praecipue auctores, sed determinatum, id est qui non ex altera re in alteram novam transfertur, sed in unius rei certam quandam partem contrahitur, comparato verbi *humanus* usu: nam *urbanus*, quod primo omnia urbis propria complectitur, ad unam partem, eruditionem et elegantiam scilicet, relegatur, cf. 29: „So gut die Art des Bedeutungsüberganges bei *humanus* als eine solche vom Allgemeinen zum Besonderen charakterisiert und qualifiziert zu werden pflegt, ebensogut erscheint diese nämliche semasiologische Analogie als maßgebend für den Bedeutungsübergang von *urbanus*, n i c h t die Metonymie der Übertragung. Denn eine ‚Übertragung' setzt einen Wechsel, einen Übertritt aus einer realen Begriffssphäre in eine andere voraus: ein solcher findet aber bei *urbanus* ebensowenig statt wie bei *humanus*, sondern jedes der beiden Wörter bleibt innerhalb seiner Sphäre; nur eine engere Begrenzung und Beschränkung der letzteren auf das ‚Besondere' findet statt, weshalb man einen solchen semasiologischen Vorgang auch wohl als ‚Begriffsverengerung' oder ‚Spezialisierung' zu bezeichnen pflegt." Pro his nominibus proposuit 29, 1 vocem „Determination". At obstat huic rationi, quod vox *humanus* revera, cum nisi ad hominem nunquam spectet, ex multis unum proprium quasi determinat, *urbanus* autem nova illa vi ad quaslibet res, sive ruri sive in oppido quodam sive in urbe sunt,

---

[1]) *Suburbanus* contra, quod a voce *sub urbe* derivatur, semper localem habet vim (cf. Heerdegen, Urbanus 13,1); substantivum *suburbanitas* (Cic. Verr. II 7) urbis vicinitatem valet.

defertur. Quod facile ex vocibus verbo *urbanus* contrariis *rusticus* et *agrestis* intellegitur; nam eorum quoque usum non translatum, sed determinatum vocavit Heerdegen (Verhandlungen der 55. Versammlung deutscher Philologen in Erlangen 1925, 25 s.). *Agrestis* enim a rebus qui in agro sunt defertur, si rudem animum et inhumanitatem denotat, neglecto plane loco ad omnes res et homines imprimis urbis, nec aliter *rusticus*, ubi asperitatem et stultitiam significat, non ad rusticum ipsum vituperandum valet, cui ille habitus a natura quasi datus est, sed ad urbanum quem dedecet. Simili ratione *urbanus* etiam ad indicandas res usurpatur quae non in urbe sunt: Varro ornamenta villae rusticae, quae in fundo est, urbana nominat (r. r. III 2, 9) et villam ruri aedificatam, quod urbanam speciem habet, urbanam (I 13, 6 s.). Intercedit ergo inter genuinam significationem, quae aliquam rem in urbe aut ruri aut in agro esse dicit, et vim translatam, quae locum omnino non respicit, is usus qui non ad locum ipsum rem quasi alligat, sed certi loci proprietatem in re esse indicat. Sic certum genus vestitus (*toga rustica* Titinius v. 44 R.), domorum (Cato de agr. 3, 2 *villa rustica*, 4, 1 *villa urbana*, quarum utraque in agro est; cf. Varronis locos supra allatos), animalium (Varro r. r. III 9, 1 *gallinae rusticae*, quibus opponuntur *Punicae* et *villaticae*), non quod in urbe aut ruri sunt, sed quia speciem habent rerum, quae in eo loco sunt, aut morem eius sequuntur, verbo *rusticus* et *urbanus* notantur; in agendo quoque rusticum et urbanum morem, quem cuique ad libidinem sequi licet, distinguit Pomponius (v. 7, II 226 R.):

At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.[1])

Itaque quod in verbi *humanus* usum cadit, quod ex omnibus hominis propriis unum eligit, cum ad doctrinam et scientiam spectat, id non convenit in voces *agrestis rusticus urbanus*, quae, si habitum hominis et se gerendi morem indicant, ex rusticis ad urbanos aut ex his ad illos transferuntur. Qua de causa licet illum verbi *urbanus* usum novum translatum nominare.[2])

Primum inveniri translatam vim in arte rhetorica ad Herennium missa, id est inter annos 86 et 82 Heerdegen statuit (p. 14. 18), brevi post apud Ciceronem in oratione pro Roscio Amerino anno 80 habita (p. 19 s.), qui et adiectivo *urbanus* et substantivo *urbanitas*, quod solus vetustiorum auctorum habet (p. 26), persaepe utitur, interdum apud Catullum, saepius

[1]) *At ego rusticatim tangam,* [*nam*] *urbanatim nescio* scripsit Ribbeck. Sed cum apud Plautum haud raro occurrat hiatus in dihaeresi trochaici septenarii (cf. Klotz, Grundzüge altrömischer Metrik 146 ss.), nihil mutandum est.

[2]) Ad locum significandum posteriore tempore haud raro usurpatur *urbicus*, quod apud Martialem primum legitur; cf. Stephani, De Martiale verborum novatore, Comment. Vratisl. philol. IV 61.

apud Horatium legi, semel apud Varronem (r. r. I 2, 1. v. i. p. 31). Unum vetustioris temporis testimonium sane dubium neglexit Heerdegen. In Catonis enim verbis a Domitio Marso laudatis, quae leguntur apud Quintilianum (VI 3, 105 = Catonis frg. p. 83, 11 Iordan), *urbanus* translate usurpatur: *Paulo post ita finit* (scil. Domitius Marsus urbanitatem) *Catonis ut ait opinionem secutus: Urbanus homo erit, cuius multa bene dicta responsaque erunt, et qui in sermonibus circulis conviviis, item in contionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. Risus erunt, quicumque haec faciet orator.* Catonem ergo primum translate verbo usum esse ex hoc loco conclusit Lutsch, Die Urbanitas nach Cicero (Festgabe für Wilhelm Crekelius zur Feier seiner 25jährigen Lehrtätigkeit in Elberfeld. 1888. 80 ss.). Quod maxime contrarium est ceteris testimoniis; nam neque Plautus neque ipse Cato, ne Terentius quidem et Lucilius, qui suae aetatis studia expoliendi vitam mores sermonem sequuntur, vocem *urbanus* translate usurpant. Qua de causa Hendrickson (A possible fragment of Valerius Cato. Class. Phil. 12, 1917, 88—92) suspicatus est Marsum in animo habuisse Valerium Catonem, Quintilianum autem, qui verbis *ut ait* additis dubitationem suam non opprimit, solo cognomine fraudatum falso ad Censorium verba retulisse. Sumpta esse illa verba ex quadam vocabulorum quae iocum significant definitione coniecit, qualem praebet e. g. Quintilianus VI 3, 17 ss.; Valerium Catonem de risu scripsisse multis argumentis probare conatus est imprimis ex veterum auctorum controversiis de satura Luciliana, quarum vestigia apud Horatium inveniuntur serm. I 4 et I 10 (Horace and Valerius Cato, Class. Phil. 11, 1916, 249 ss. 12, 1917, 77 ss.). Obstat praecipue huic coniecturae, quod Quintilianus, qui ex Marsi libro multa ad verbum tradit, ad Catonem Censorium verba refert; parum verisimile est Marsum ita obscuravisse et auctorem quem secutus est et librum, ut Quintilianus ad alium quendam auctorem verba reiecerit. Verbum *urbanus* autem a Catone pro voce *ridiculus, iocosus* adhibitum esse ex Marsi verbis concludere haud necesse est, cum non verba, sed opinionem Catonis Marsus se sequi confirmet; ipse quoniam de urbanitate librum scripsit, hoc verbum suo tempore maxime usitatum pro aliquo Catonis vocabulo paulum obsoleto fortasse adhibuit.

De translato verbi *urbanus* et praecipue vocis *urbanitas* usu apud Ciceronem egit Otto Lutsch, Die Urbanitas nach Cicero (loco supra allato p. 80—95). Statuit Lutsch genuinam vocis *urbanitas* significationem esse summam morum et proprietatum eorum hominum qui in urbe vitam agunt, quae complectitur primum linguam (82 s.), deinde litterarum et artium scientiam (83 s.), tum animi acumen et celeritatem (85 s.) saepe cum moderata irrisione coniunctam (87—90), porro se gerendi comitatem et clementiam (91 s.), iustitiam

denique ex Stoicorum doctrina in urbanitatis munera receptam (92—94). Qua in re iterum tractanda imprimis interest quaerere, qua via urbanitatis singulae partes inter se diversae suam quaeque vim nacta sint. Quam ad rem diiudicandam alicuius momenti est Graeci vocabuli ἀστεῖος usus, ad quem verbi *urbanus* vim dirigi nonnullis locis apparet. Consentaneum est ad substantivi vim intellegendam adhiberi adiectivi *urbanus* usum. Praeterea etsi ad totius urbanitatis fines circumscribendos necesse est unamquamque partem tractandam separare a ceteris, tamen semper memoria tenendum est apud Romanos uno eodemque verbo indicari, ita ut in una significatione ceterae quoque audiantur.[1])

Suppletur verborum usus, de quo nobis disserendum est, urbanorum descriptione, quos ex variis testimoniis cognoscimus, praecipue eis, quibus urbani cum rusticis comparantur. Quos locos ex Graecis et Latinis fontibus collegit ad rusticum et urbanum depingendum O. Ribbeck (Agroikos. Eine ethologische Studie. Abhandlungen d. Sächs. Akademie der Wissenschaften 10, 1 1885). Romanorum vitam rusticam et urbanam descripsit porro Henri Bléry, Rusticité et urbanité Romaines (Thèse Paris 1909); de vetere urbanitatis notione egit p. 85—119.

I. De verborum ἀστεῖος et ἀγροῖκος usu.

Priusquam quaeritur, quas partes *urbanitas* contineat, de Graecorum voce ἀστεῖος breviter agendum est.[2]) Verbum ἀστεῖος primum occurrit in vetere comoedia ad indicandam laudem quandam ex urbana vita genitam; localem contra vim non ἀστεῖος habet sed ἀστικός, quod vocabulum apud Aeschylum primum legitur (Suppl. 501. 618.): e. g. ἀστικὰ Διονύσια Thuc. V 20. ἀστικαὶ δίκαι Lys. 17, 3; recentiore tempore alterum pro altero usurpari ex novae comoediae usu intellegitur. Derivatur utrumque a voce ἄστυ domicilii quadam notatione, id quod ipsa verbi origo indicat (Ϝάστυ skr. *vastu* valet domicilium, cf. Boisacq, Dictionnaire Étym. de la Langue Grecque 92), cui contrarius est ἀγρός: aut in urbe aut ruri homines domum habent. Unde derivatur vocabulum ἀγροῖκος, quod significat primo illum qui ruri habitat, e. g. οἱ ἄγροικοι quibus opponuntur οἱ ἐξ ἄστεως Ar. Pax 1185, paulatim etiam ad vitam habitum

[1]) Locos scriptorum Romanorum quos respexi sumpsi ex schedis in aedibus Thesauri Linguae Latinae collectis, ad quas benigne me admisit vir doctissimus Georgius Dittmann.

[2]) De usu verborum, quae a voce ἄστυ derivantur, egit J. H. Schmidt, Synonymik der griechischen Sprache II 495—507, de eis quae ducuntur a verbo ἀγρός III 69—75.

mores rustici transfertur, nec rustici tantum, sed cuiusvis hominis, in quo illa rustici propria ab urbanis moribus diversa inveniuntur: sic usurpatum ipsi verbo *ἀστεῖος* oppositum est.[1]) Cum ad eandem rem ex diversis partibus utraque vox plerumque spectet, altera ad laudandum eum qui habet, altera ad vituperandum qui caret, non separatim, sed ut res quaeque postulat altera iuxta alteram tractandae sunt. Porro cum ad habitum totum hominis spectent, ad elegantiam exteri cultus non minus quam ad clementiam et suavitatem morum, ad eruditionem denique et animi culturam, quae omnia ex suo quisque iudicio et sua vivendi ratione pendit, mirum non est variis finibus circumscribi urbanitatem et rusticitatem ab hominibus non eodem loco natis: separandus est usus magis vulgaris a sermone eruditorum, quorum alterum comici poetae imprimis sequuntur, alter ex Platonis scriptis praecipue cognoscitur.

Verbum *ἀγροῖκος* ubi occurrit primum quamquam localem retinet vim, tamen non sine contemptione rustici habitus usurpatur:

Alcman frg. 13 D. *Οὐκ ἦς ἀνὴρ ἄγροικος οὐδέ*
σκαιὸς οὐδὲ παρὰ σοφοῖσιν
οὐδ᾽ Θεσσαλὸς γένος
οὐδ᾽ Ἐρυσιχαῖος οὐδὲ ποιμήν,
ἀλλὰ Σαρδίων ἀπ᾽ ἀκρᾶν.

ἀγροῖκος cum verbo *ποιμήν* coniunctum ad locum spectat; cum autem cum voce *σκαιός* iungatur et opponatur verbis *Σαρδίων ἀπ᾽ ἀκρᾶν*, quae origo laudi ducitur poetae, apparet rusticum minoris haberi quam urbanum, sane poetam. Idem usus invenitur in Aristophanis Nubibus, ubi *ἀγροῖκος* plerumque ad ipsum rusticum spectat — Strepsiadem scilicet —, exprimit autem illud urbanorum fastidium, quo rusticas res tractant. Socrates de Strepsiade queritur

628 s. *οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ᾽ ἄγροικον οὐδένα*
οὐδ᾽ ἄπορον οὐδὲ σκαιὸν οὐδ᾽ ἐπιλήσμονα.

646 *Ἐς κόρακας, ὡς ἄγροικος εἶ καὶ δυσμαθής.*

cf. etiam 655 *ἀγρεῖος εἶ καὶ σκαιός*

et quomodo se ipsum describat Strepsiades 129 s.

πῶς οὖν γέρων ὢν κἀπιλήσμων καὶ βραδὺς
λόγων ἀκριβῶν σκινδαλάμους μαθήσομαι;

---

[1]) De accentu vocis *ἀγροῖκος* ex forma *ἀγρόϝοικος* contractae, quem ad significationem referunt antiqui grammatici (cf. Ammonius p. 5 Valck. *ἀγροῖκος καὶ ἄγροικος διαφέρει. προπερισπωμένως μέν, ὁ ἐν ἀγρῷ κατοικῶν. προπαροξυτόνως δέ, ὁ σκαιὸς τοὺς τρόπους*) egit Wackernagel (Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1914 p. 50. 126 s.): Iudicavit formam *ἄγροικος* ab Atticis usurpari, qui removent accentum in primam verbi partem neglecto longo vocali, quod observatur etiam in Atticis formis *τρόπαιον, γέλοιος, ὅμοιος, ἕτοιμος* aliis (cf. Kühner, Griech. Gramm. I 1^3, 326 *A.* 7). in ceteris dialectis censuit formam *ἀγροῖκος* adhibitam esse.

Rudem suum habitum excusat ea ipsa re quod rusticus est 138

σύγγνωθί μοι· τηλοῦ γὰρ οἰκῶ τῶν ἀγρῶν.

et urbanis se eadem de causa inferiorem esse concedit 1456 s.

τί δῆθα ταῦτ' οὔ μοι τότ' ἠγορεύετε,
ἀλλ' ἄνδρ' ἄγροικον καὶ γέροντ' ἐπήρετε;

Intellegitur ex hoc usu quam facile verbum ἀγροῖκος ad hominem quemvis stultum et lento animo transferri possit. Sic usurpatur a Stratone novae comoediae poeta frg. 1 v. 25

ἀγροικότερός εἰμ', ὥσθ' ἁπλῶς μοι διαλέγου.

Cui rusticae simplicitati opponitur urbana calliditas, quae verbo ἀστεῖος significatur, Anaxilas frg. 21 v. 6 s.

ἆρ' ὡς ἀληθῶς ἐστι γοῦν
ἁπλῆ τις; — ἀστεία μὲν οὖν, νὴ τὸν Δία.

Quantum inter se differant rusticus et urbanus extero cultu et vitae ratione, Strepsiades ipse in Nubibus describit ἄγροικον βίον suum depingens 43 ss., quae vita rudis omni ornatu apparatu luxuria quae urbani amant plane caret. Quin etiam decorum interdum non satis respici a rusticis ex versu quodam Philetaeri non integro intellegitur, quo mos inhonestus vestimenti gerendi vituperatur verbo ἀγροῖκος translate usurpato, frg. 19

μηδ' ἀγροίκως ἄνω γόνατος ἀμφιέξει

id quod in describendo rustico reprehendit Theophrastus Char. IV 7.

Verbo ἀγροῖκος ergo indicatur carere urbano cultu et elegantia primo rusticum ipsum, mox quemvis hominem parum eruditum. ἀστεῖος contra rarius ad urbem reicitur quam ἀγροῖκος ad agrum; illum habitum, quem ἀστεῖος significat, in urbe procreari profitetur Alcaeus mediae comoediae poeta frg. 26

νῦν οὖν γένοιτ' ἀστεῖος οἰκῶν ἐν πόλει,

plerumque autem elegantia illa et lepos verbo ἀστεῖος notata ad ipsam urbem non reiciuntur. Maximam admirationem exprimit ἀστεῖος Ar. Nub. 204, ubi Strepsiades de consilio distribuendi Atticam falso intellecto iudicat ἀστεῖον λέγεις, „pulchrum dicis". Sine propria urbanae elegantiae notatione usurpatur

Nub. 1064 ἀστεῖον κέρδος

Ach. 811 ἀστείω τὼ βοσκήματε (scilicet χοιρίδια).

Sic in nova comoedia ad laudandos cibos egregie paratos saepe adhibetur:

Alexis 189 κρέισκον ἀστεῖον πάνυ ὕειον

Antiphanes 6 κραμβίδιον ἑφθὸν χαρίεν ἀστεῖον πάνυ

et apud alios. Tantum denique ab urbis notione amovetur, ut et commodas et iniquas res indicet,

Posidippus frg. 2 συμβαίνει δέ τι
νῦν μοι διακονοῦντι παρὰ τῷ δεσπότῃ
ἀστεῖον · οὐχ ἁλώσομ' ἐκφέρων κρέας.

Men. Sam. 149 K. *ἀστεῖον πάνυ*
εἰ τὰς λοπάδας ἐν τῷ μέσῳ μοι κειμένας
ὄστρακα ποιῆσαι πάνθ' ὅμοια.

Qua cum vi congruit Stoicorum philosophorum usus, qui voce *ἀστεῖος* pro verbis *ἀγαθός* et *σπουδαῖος* utuntur (v. i. p. 18), et artis rhetoricae usus, ubi coniunguntur *τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα* (Ar. Rhet. III 1410 b 6 ss.) et *τὸ ἀστεῖον* saepius pro verbis *τὸ εὖ* usurpatur (v. excursum I).[1] Verbum *ἀστεῖος* magis spectare ad concinnitatem et leporem quam ad magnitudinem et pulchritudinem illam, quam *καλός* indicat, docet Aristoteles E. N. IV 1123 b 7: *ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι, οἱ μικροὶ δὲ ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ.*

At elegantiam illam, qua gloriantur urbani, interdum etiam modum excedere et offensioni esse videmus ex Aristophanis versis nonnullis, quibus iudicium suum de sermone cotidiano profert frg. 685 *διάλεκτον ἔχοντα μέσην πόλεως*
οὔτ' ἀστείαν ὑποθηλυτέραν
οὔτ' ἀνελεύθερον ὑπαγροικοτέραν.[2])

Recta locutio medium tenet inter duas vitiosas: eius quae *ἀστεία* vocatur vitium est, quod effeminatum quiddam habet, alterius quae nominatur *ἀνελεύθερος*, quod nimium habet asperitatis: *ὑπάγροικος* quoniam voci *ὑπόθηλυς* opponitur, translatam vim habet; non ergo hic versus testimonium est rusticorum sermonem in Attica differre ab usu urbanorum, quod nusquam traditur, praesertim cum neque in inscriptionibus rustici sermonis vestigia inveniantur neque Aristophanes, qui in variis fabulis rusticos in scaenam ducit (cf. Acharnenses, Nubes, Eccl. 266 ss.), sermonem eorum illudat, quippe qui barbaros balbutiantes aut Boeotorum vel Lacedaemoniorum sermonem saepe imitatur (cf. Wackernagel, Kultur der Gegenwart I 8^3 377 s.). Uno quidem loco Aristophanes fortasse rusticam vocem respicit: Nub. 872 s. Socrates Pheidippidem Strepsiadis rustici filium vituperat propter oris latitudinem
ἰδοὺ κρέμαι', ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο
καὶ τοῖσι χείλεσιν διερρυηκόσιν,

quod comparat Norden (De Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio. Ind. Lect. Gryphiswald. 1895) cum lato sono rusticorum Romanorum, quem auctores purae Latinitatis studiosi reprehendunt (cf. excursum II).

Praeter exterum urbanae vitae cultum *ἀστεῖος* praecipue designat loquendi modum, sive sermonis formam expolitam sive sales et facetias laudat, quorum alterum saepe cum altero iunctum est. Apparet ex ipso verborum usu, quantum in hac

---

[1]) Eadem significationis mutatio observatur in nostrae linguae voce medio aevo usitata *hövesch, hüvesch* = *hübsch*, quae a notandis certi cuiusdam coetus moribus ad omnes lepidas res defertur.

[2]) In hoc versu non neglegendam esse dactyli cum anapaesto coniunctionem monuit Kock.

re inter rusticos et urbanos intersit; rusticorum iocus contemnitur propter asperitatem, quae nimis offendit, et insulsitatem, quod docet verbum ἀγροῖκος translate usurpatum Ar. Vesp. 1320

σκώπτων ἀγροίκως καὶ προσέτι λόγους λέγων
ἀμαθέστατ' οὐδὲν εἰκότας τῷ πράγματι.

Itaque Aristoteles in iocandi virtute et vitiis tractandis illud genus iocandi, quod parum habet salis, voce ἀγροικία nominat, E. N. II 1108 a 24 ss. περὶ δὲ τὸ ἡδὺ τὸ μὲν ἐν παιδιᾷ ὁ μὲν μέσος εὐτράπελος καὶ ἡ διάθεσις εὐτραπελία, ἡ δὲ ὑπερβολὴ βωμολοχία καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν βωμολόχος, ὁ δ' ἐλλείπων ἀγροῖκός τις καὶ ἡ ἕξις ἀγροικία. Contra ἀστεῖος facetias elegantes et iucundas significat, quae lepore proprio superant vulgarem salem: in Ranis Aristophanis Xanthias tres gradus enumerat facultatis suae iocandi

1 εἴπω τι τῶν εἰωθότων, ὦ δέσποτα,
ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι;
5 μηδ' ἕτερον ἀστεῖόν τι;
6 τί δαί; τὸ πάνυ γέλοιον εἴπω;

ἀστεῖος ergo plus salis significat quam comicorum ioci habere solent. Ad Cratetis proprium leporem spectat Ar. Equ. 539

ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.

Ubi propria venustas et acumen facetiarum minus respicitur, ἀστεῖος adaequatur ad vocabuli γελοῖος usum, e. g.

Ar. Vesp. 1258 ἢ λόγον λέξας αὐτὸς ἀστεῖόν τινα
Αἰσωπικὸν γέλοιον ἢ Συβαριτικόν.

Plato Rep. V 452 d ἐξῆν τοῖς τότε ἀστείοις πάντα ταῦτα κωμῳδεῖν (cf. 452 b τὰ τῶν χαριέντων σκώμματα, 452 c αἰσχρὰ καὶ γελοῖα). In coetibus eruditorum laude ἀστεῖος digni sunt ei, qui ceteros delectant facetiis haud scurrilibus neque quibus offendunt auditores, secundum Xenophontem Inst. Cyri II 2, 12 οἱ δὲ μηχανώμενοι γέλωτα τοῖς συνοῦσι μήτε ἐπὶ τῷ αὐτῶν κέρδει μήτ' ἐπὶ ζημίᾳ τῶν ἀκουόντων μήτε ἐπὶ βλάβῃ μηδεμιᾷ, πῶς οὐχ οὗτοι ἀστεῖοι ἂν καὶ εὐχάριτες δικαιότερον ὀνομάζοιντο μᾶλλον ἢ ἀλαζόνες; Qui lepos saepe inest etiam in singulis dictis brevibus, ut intellegitur ex Demosthene, In Aristocratem (23) 206: τοὺς τὰ μέγιστ' ἀδικοῦντας καὶ φανερῶς ἐξελεγχομένους, ἂν ἓν ἢ δύ' ἀστεῖ' εἴπωσιν . . . ἀφίετε. Non tam salem quam concinnitatem et venustatem dictorum significat ἀστεῖος Plato Legg. III 680 c Ἔοικέ γε ὁ ποιητὴς ὑμῖν οὗτος γεγονέναι χαρίεις. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἄλλα αὐτοῦ διεληλύθαμεν μάλ' ἀστεῖα. Ad formam expolitam loquendi spectat Ar. Ran. 901, ubi Euripidis locutio opponitur dictioni Aeschyli: προσδοκᾶν οὖν εἰκός ἐστι
τὸν μὲν ἀστεῖόν τι λέξαι
καὶ κατερρινημένον.

ex verbo κατερρινημένον apparet de forma sermonis agi. Quae elegantia et politio locutionis ab oratoribus imprimis petitae etiam in vituperationem vertuntur, quod ad obtegendam inanitatem orationis et defraudandum auditorem adhibentur,

qua de re in prooemiis 32 et 56 quae sub Demosthenis nomine feruntur agitur, cf. imprimis 32, 2 *τὰ τῶν λόγων ἀστεῖ' ὡς ἔοικε τοῦ τὰ μέγιστ' αἰσθάνεσθαι κεκώλυκεν αὐτούς*. Idem conantur in Platonis Phaedro orationes qui sunt de Amore; 242 e *ἔτι δὲ ἡ εὐήθεια αὐτοῖν πάνυ ἀστεία, τὸ μηδὲν ὑγιὲς λέγοντε μηδὲ ἀληθὲς σεμνύνεσθαι ὥς τι ὄντε, εἰ ἄρα ἀνθρωπίσκους τινὰς ἐξαπατήσαντε εὐδοκιμήσετον ἐν αὐτοῖς.*

Cum in habitu cultu sermone rusticorum et urbanorum tot discrimina observentur, mirum non est haec omnia reici ad utriusque naturam rustica aut urbana vita procreatam, id quod facit Aristophanes in Strepsiade rustico fingendo. Ita *ἀγροῖκος* et *ἀστεῖος* transferuntur alterum ad mentem rudem et asperam, alterum ad comem et clementem: *Δῆμος* describitur Ar. Equ. 41 *ἄγροικος ὀργήν* id est qui animi sui motus coercere non potest, quocum conferre licet Dem. Callicl. (55) 11 *ἄνθρωπος . . . δυσχεραίνων μᾶλλον ἀστικοῦ.*[1]) De homine quodam qui omisit salutare iudicat Xenophon Mem. III 13, 1 *ὅτι δὲ τὴν ψυχὴν ἀγροικοτέρως διακειμένῳ περιέτυχες, τοῦτό σε λυπεῖ.* Aristoteles Rhet. III 1417 a 21 coniungit *θρασύτητα καὶ ἀγροικίαν ἤθους*. Eundem se describit rusticus ipse apud Menandrum frg. 10

ἐγὼ δ' ἄγροικος, ἐργάτης, σκυθρός, πικρός,
φειδωλός.

Ad comitatem contra mentis indicandam usurpatur *ἀστεῖος* apud Nicomachum comicum frg. 1 v. 1

ὑποδεικνύεις μὲν ἦθος ἀστεῖον πάνυ
καὶ πρᾷον.

In sermone cotidiano Atticorum ergo *ἀγροῖκος* usurpatur ad denotanda omnia, quae abhorrent ab urbanae vitae cultu et moribus, *ἀστεῖος* contra ad laudanda ea, quae excellunt propria elegantia et venustate, quas progignit vita urbana. Haec vis certioribus finibus circumscribitur in usu eruditorum et nobilium. In circulis enim eorum expolitur cotidiana hominum inter se consuetudo comitate atque humanitate et accommodatur ad certum quoddam decus sine legibus et verbis ab omnibus observatum. Quod consentit cum huius consuetudinis legibus, significatur voce *ἀστεῖος*, quod expers est illius suavitatis, nota *ἀγροῖκος* designatur. Unde autem profluat et illa morum iucunditas et eorum habitus, qui sunt extra hanc societatem, ex eo intellegitur, quod *ἀγροῖκος* cum voce *ἀπαίδευτος* nonnullis locis coniungitur: Plat. Theaet. 174 d

---

[1]) Cohaeret cum hac vi, quae animum nimis effrenatum indicat, Plato Rep. III 411 a *καὶ τοῦ μὲν ἡρμοσμένου σώφρων καὶ ἀνδρεία ἡ ψυχή . . . τοῦ δὲ ἀναρμόστου δειλὴ καὶ ἄγροικος*, ubi *ἀγροῖκος* ad animum, cupidinibus male temperantem spectat, quod ex voce opposita *σώφρων* apparet. Plerumque rusticus ipse, quod attinet ad libidinem, hebes describitur et *ἀναίσθητος*, certe in comoediis (Arist E. E. III 1230 b 19. E. N. II 1104 a 26).

ἄγροικον καὶ ἀπαίδευτον. Phaedr. 269 b *ὑπ' ἀγροικίας ῥῆμά τι εἰπεῖν ἀπαίδευτον.* Arist. Rhet. III 1408 a 32 *οὐ γὰρ ταὐτὰ οὐδ' ὡσαύτως ἂν ἄγροικος ἂν καὶ πεπαιδευμένος εἴπειεν.* Porro hic *ἄγροικος* cum illiberalibus et servis confertur Legg. IX 880 a *ἄγροικος καὶ ἀνελεύθερος . . . ἀνδραποδώδης τε.* Rep. VIII 560 d *μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὖσαν πείθοντες.* Illa ergo comitas profluit non tam ex ipsa loci et vitae condicione quam ex animi eruditione litteris et scientia exculti, quam petunt urbani, aspernatur rusticus; qui expers est culturae animi, excluditur ex politorum hominum societate. Itaque *ἀγροῖκος* significat scientia et litteris ineruditum, qui habitus contrahitur apud Platonem verbo *ἀγροικία*, quod spectat aut ad ignorantiam universe (sic Rep. X 607 b) aut ad certae cuiusdam scientiae velut philosophiae (Conv. 218 b; cf. Arist. Met. I 986 b 27 *Ξενοφάνης καὶ Μέλισσος, ὄντες μικρὸν ἀγροικότεροι*) vel musicae (Legg. II 669 e). Phaedr. 229 e *ἅτε ἀγροίκῳ τινὶ σοφίᾳ χρώμενος* doctrina quorundam respicitur, quam sapientiam esse putant, quod negat Plato apposito verbo *ἀγροῖκος.* Sic etiam Theophrastus definit *ἀγροικίαν* (Char. IV): *ἡ δὲ ἀγροικία δόξειεν ἂν εἶναι ἀμαθία ἀσχήμων.*

Quadrat ad hunc usum, quod *ἀγροικίας* habetur veri dissimilia et paradoxa aut proferre aut credere: Euthyd. 284 e *καὶ πειρῶμαι πείθειν μηδέποτε ἐναντίον ἐμοῦ οὕτως ἀγροίκως λέγειν, ὅτι ἐγὼ τούτους βούλομαι ἐξολωλέναι, οὓς περὶ πλείστου ποιοῦμαι.* Cf. Gorg. 461 c. Conv. 194 c. Porro id quod in sermone nimis olet vulgus vel aspere dicitur, excusatur verbo *ἀγροῖκος*: Gorg. 486 c *τὸν δὲ τοιοῦτον, εἴ τι καὶ ἀγροικότερον εἰρῆσθαι, ἔξεστιν ἐπὶ κόρρης τύπτοντα μὴ διδόναι δίκην.* Quem morem in eodem dialogo Socrates in ironiam vertit, cum hanc excusationem adhibet, ubi nihil vulgare dicitur, immo gravitas orationis augetur: 509 a *ταῦτα . . . κατέχεται καὶ δέδεται, καὶ εἰ ἀγροικότερόν τι εἰπεῖν ἐστί, σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις λόγοις.* Nec solum verba humiliora, sed etiam res quibus offendere potest auditor, sic excusantur: Euthyd. 283 e *εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, εἶπον ἄν, σοὶ εἰς κεφαλήν, ὅτι μαθὼν . . . καταψεύδει τοιοῦτο πρᾶγμα . . .*, ubi illud *καταψεύδει* aliquid offensionis habet; et Gorg. 462 e, ubi oratoris cum coquo comparationem Socrates mitigare studet praemissis verbis *μὴ ἀγροικότερον ᾖ τὸ ἀληθὲς εἰπεῖν.* Quo loco obtegit ironia Socrates, quid ipse iudicet de consuetudine huic sodalitati dilecta: tanti aestimatur forma iucunditate expolita, ut necesse sit veritatem ipsam comitati cedere. Simili modo Isocrates (Philipp. 82) *ἀγροικίας* crimen in se vertit: *τοῦ δὲ φρονεῖν εὖ καὶ πεπαιδεῦσθαι καλῶς, εἰ καί τις ἀγροικότερον εἶναι φήσει τὸ ῥηθέν, ἀμφισβητῶ.* Quamquam immodestum esse videtur se ipsum efferre, tamen veritas non opprimenda est. Eandem rem, quam comiter illudit Socrates, attingit comicus quidam ignotus (an. 227):

ἄγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων.

Porro ἀγροικίας ducitur in disputationibus aspere invehi in adversarium; Phaedr. 268 d ἀλλ' οὐκ ἂν ἀγροίκως γε λοιδορήσειαν, cf. οὐκ ἀγρίως εἴποι ἄν· ὦ μοχθηρέ, μελαγχολᾷς, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν πρᾳότερον ὅτι ὦ ἄριστε . . . Ad eandem rem spectant verba 269 b, quae supra allata sunt (p. 16). Ea contra ratio, quae comiter agit cum adversario, verbo ἀστεῖος significatur non apud Platonem, sed apud Stoicos posteriores, quod testantur Romani auctores nonnullis locis, de quibus infra agendum est (p. 49). Fingitur etiam novum verbum ἀγροικίζομαι, quod valet laedere mores politos asperitate et stultitia; Plat. Theaet. 146 a Socrates ex silentia praesentium concludit se offendisse in decori: τί σιγᾶτε; οὔ τί που . . . ἐγὼ ὑπὸ φιλολογίας ἀγροικίζομαι;

Cum omnia, quae abhorrent ab illius societatis legibus, notentur certo verborum usu, id quod probatur in hac consuetudine quia fundamentum huius sodalitatis est rarius exprimitur proprio verbo. Voce ἀστεῖος nominatur illa comitas, quae decet eruditum hominem in cotidiana consuetudine, ab Isocrate, qui principi instituendo duas se gerendi virtutes commendat (Ad Nicocl. 34): ἀστεῖος εἶναι πειρῶ καὶ σεμνός. τὸ μὲν γὰρ τῇ τυραννίδι πρέπει, τὸ δὲ πρὸς τὰς συνουσίας ἁρμόττει. Hanc autem virtutem illo iam tempore labascere ex sequentibus verbis apparet: χαλεπώτατον δὲ τοῦτο πάντων ἐστὶ τῶν προσταγμάτων. εὑρήσεις γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοὺς μὲν σεμνυνομένους ψυχροὺς ὄντας, τοὺς δὲ βουλομένους ἀστείους εἶναι ταπεινοὺς φαινομένους.[1]) Verbo ἀστεῖος laudatur adulescens nobilis apud Platonem propter pudorem liberalem Lys. 204 c ἀστεῖόν γε, ὅτι ἐρυθριᾷς, ὦ Ἱππόθαλες, καὶ ὀκνεῖς εἰπεῖν Σωκράτει τοὔνομα (scil. τοῦ ἐρωμένου). Hanc virtutem, quem fructum amplissimae eruditionis putant nobiles illi et illustres, in quorum coetibus floret, Socrates profitetur ingenuam esse animo humano, cum dicit de apparitore undecimvirorum homine humili loco nato Phaed. 116 d ὡς ἀστεῖος ὁ ἄνθρωπος, quibus verbis educitur ex certae societatis finibus ad summam humanitatis. Aliis locis ἀστεῖος in angustiorem vim contrahitur; Phaedr. 227 d cum verbo δημωφελής coniunctum est, ita ut illa humanitas in utilitatem quandam vertatur; et ea mens, quae iustitiae et humanitatis causa omnibus idem tribuit, non sine aliquo stultitiae crimine ἀστεῖος nominatur Rep. I 349 b ὁ δίκαιος τοῦ δικαίου δοκεῖ τί σοι ἂν ἐθέλειν πλέον ἔχειν; οὐδαμῶς, ἔφη· οὐ γὰρ ἂν ἦν ἀστεῖος, ὥσπερ νῦν, καὶ εὐήθης (cf. 348 c, ubi δικαιοσύνη nominatur γενναία εὐήθεια).

Haec vis, ex qua plane removetur genuina urbanae elegantiae significatio, id quod in vulgari sermone iam observatum

---

[1]) Haec verba exstant in ea parte adhortationis, quae omittitur in Antidosi, unde concluserunt nonnulli viri docti posteriore aetate eam interpolatam esse. Cf. imprimis Drerup in editione orationum Isocratis I p. CXLIV ss. Quam sententiam refutavit Münscher GGA 1907, 775 ss.

est, ad Stoicorum usum ducit, ubi *ἀστεῖος* idem valet atque *ἀγαθός* vel *σπουδαῖος* apud Aristotelem.[1]) Hic usus imprimis invenitur apud Chrysippum, e. g. in indice scriptorum eius apud Diogenem Laert. VII 199 (II 8,33 Arnim) *Ὅρων τῶν τοῦ ἀστείου πρὸς Μητρόδωρον α' β'*, quibus respondunt *ὅρων τῶν τοῦ φαύλου πρὸς Μητρόδωρον α' β'*. Chrys. frg. mor. 674 *κατὰ ταὐτὰ δὲ τῷ μὲν ἀστείῳ ἀλλότριον οὐδέν, τῷ δὲ φαύλῳ οἰκεῖον οὐδέν ἐστιν.* cf. 243. 703.

Sequenti tempore retinentur eae verbi significationes, quae ab urbis notione plane alienae sunt, imprimis ea, quae ad salem pertinet. Urbanae elegantiae et suavitatis laus viguit, dum integra erat ea societas, in qua progenita et exculta est. Orta est Periclis fere aetate, cum Athenae florerent omnium artium et litterarum apparatu ornatae, quo elati contemnere coeperunt urbani rusticum eruditionis expertum, ut testatur comoedia. Periit post Platonis aetatem: apud Aristotelem in variis nominibus, quibus circumscribitur multiplex hominum inter se consuetudo, *ἀστεῖος* non occurrit. Vidimus iam Aristophanem offendisse in nimia urbanorum elegantia loquendi; Isocrates periclitari illius virtutis pretium testatur, Plato deminuit eam inducens Socratem, qui per ironiam sibi induit aliquantum rusticitatis et comitatem eam, quam sibi vindicant nobiles eruditione imbuti, intellegi vult omnium hominum communem possessionem.

Cum rusticitatis propria substantivo *ἀγροικία* primum apud Platonem in unum vocabulum contrahantur, deest substantivum quod habitum *τοῦ ἀστείου* comprehendit non solum eo tempore quo floret verbum, sed etiam in usu Stoicorum: *ἀστεϊσμός*, quod in Peripateticorum reliquiis invenitur, ad orationis tantum elegantiam spectat et imprimis salem et facetias valet (v. excursum I); in Aristophanis scholiis demum et apud Libanium occurrunt *ἀστειότης* et *ἀστειοσύνη*. Nonnullis locis Romani interpretari videntur voce *urbanitas* Graecum quoddam substantivum ex posteriorum Stoicorum usu sumptum: Cic. fam. III 7, 5 *addo urbanitatem, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant* (de quo loco v. i. p. 29), ubi temperantia facetiarum Graeco substantivo significatur; in eis certe reliquiis Stoicorum, quae apud scriptores Graecos exstant, *ἀστειότης* non legitur.

---

[1]) Cf. Wilamowitz Herm. 34 (1899) 623.

II. De vocabuli *urbanus* et verborum quae opposita sunt usu translato.

Si cum verbi ἀστεῖος vi comparamus vocis *urbanus* usum supra breviter circumscriptum, apparet idem valere multis in rebus ambo verba. Distinctis verbis ad Graecum usum refertur *urbanitas* apud Ciceronem uno tantum loco, qui supra allatus est (fam. III 7, 5). Romani Graecum usum translatum, quem iam pridem cognoverant, diu non receperunt: Scipionis aetate, qua vox *humanus* florere coepit (cf. Reitzenstein, Werden und Wesen der Humanität im Altertum, p. 7), nulla vestigia verbi *urbanus* translate usurpati inveniuntur; differentia urbanorum et rusticorum, cuius verborum usus quasi imago est, nondum tanta erat, ut rustica vita contempta urbanis moribus palma daretur.[1]) Quam ad differentiam augendam Graecos haud parvum attulisse conicere licet, quia Scipione praecipue auctore Graecis litteris et doctrina influentibus recepta est in urbem nova vivendi ratio cum externo cultu tum animi expolitione distincta, cuius expers manebant rustici. Quod a certo quodam tempore subito vocis *urbanus* frequens usus occurrit, proprium est eorum vocabulorum, qui virtutem quandam ex certi loci et coetus condicione natam significant: idem observamus in verbi ἀστεῖος usu, quod certa aetate apud multos legitur; etiam illa medii aevi virtus proprii loci moribus genita „courtoisie" vel „cortesia", quae apud nostros „hoevescheit" dicitur, subito laudatur apud undecimi saeculi poetas.[2]) Eum habitum comitate et lenitate aut elegantia et acumine praeditum, quem posteriore tempore *urbanus* significat, vetustiore aetate varia vocabula indicant, quorum usitatissima sunt *blandus* (*verba blanda, dicta docta* Plaut. Asin. 525. *blande dicere aut benigne facere* Ter. Ad. 878), *benignus* (Plaut. Most. 816. Ter. Ad. 878), *placidus* (*placide rogitare* Plaut. Asin. 326), *lepidus* (*lepide dicere* Plaut. Most. 171. 269. *o lepidum patrem* Ter. Ad. 848), *lenis*

---

[1]) Rusticus qualis in Romana comoedia describitur (Demea in Terentii Adelphis, Plauti Truculentus — imprimis 256 ss. —, rusticus servus in prima Mostellariae scena) ex Graecorum nova comoedia sumitur. Lucilius primus docet, quem locum teneat rusticus apud Romanos:

1063 *Deblaterant. Plennus bonus rusticus concinit una*
cf. 1130 *Cecilius pretor ne rusticus fiat.*

[2]) Cf. E. Lenschau, Cortesia und Urbanitas von Dante bis Tasso (Jb. d. Diss. d. Berliner Universität 1922/23 363—65). Contendit Lenschau novam illam vivendi rationem quae in medii aevi sedibus principum floret, recta via ex antiqua urbanitate fluxisse, quae imperio labente in Galliam Narbonensem recepta a monachis culta esset in monasteriorum coetibus; quamquam huius rei testimonia nulla exstare ipse concessit. At ipsa urbanitas post Ciceronis aetatem languescit et evanescit una cum illius ex qua orta est societatis interitu; *cortesia* autem ex novo hominum congressu oritur propriosque progignit mores ab antiqua urbanitate sic differentes ut urbana vita a principum aulis et equitum sodalitate, quae cum Homeri aetate magis comparari possunt.

(*leniter precari* Plaut. Amph. Pr. 24. *ingenio leni* Ter. Heaut. 151), *comis* (*comi animo aut leni* Ter. Heaut. 912. *Comiter impertire* Enn. Ann. 236), *facetus* (*facete* scil. dictum Ter. Ad. 805), *humanus* (*humani ingeni* Plaut. Most. 814. Ter. Andr. 86), *mansuetus* (*mansueti animi* Ter. Andr. 87), *facilis et festivus* Ter. Ad. 986. (*facilitas et clementia* ibid. 861), *festivus* (*o pater mi festivissime* Ter. Ad. 983), *clemens* (*clementia* Ter. Ad. 861). Cf. quo modo laudet Ennius hominem iucundum (Ann. 244 ss.)

. . . levis, haud malus, doctus, fidelis,
suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
scitus, secunda loquens in tempore, commodus . . .

et Terentius (Ad. 864)

clémens, placidus, núlli laedere os, adridere omnibus.

Hae voces, quamquam posteriore quoque tempore leguntur, verbo *urbanus* Ciceronis aetate in unum habitum comprehenduntur, quod verba eius docent fam. III 8, 3: *Primum te, hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari.* Unde concludit Quintilianus (VIII 3, 34) „*urbanum*" *Cicero novum credit.*[1])

Voci *urbanus*, sive genuina vi sive translate usurpatur, contrarium est verbum *rusticus*, quod multi docent loci quibus alterum alteri opponitur (cf. Heerd. p. 10). Pomponii versus supra allatus habet adverbia (v. 7 R.):

At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.[2])

Saepius eo consilio coniunguntur substantiva vel adiectiva ut contrariis vocibus iunctis universitas quaedam exprimatur: Cic. har. resp. 56 *non solum alieni sed etiam sui, vicini tribules, urbani rustici.* Fin. II 77: *quam omnes urbani rustici, omnes inquam qui Latine loquuntur voluptatem vocant. Rusticus*[3]) non aliter atque *urbanus* sensu translato usurpatur Ciceronis

---

[1]) Falso mihi videntur Lutsch (93) et Heerdegen ad ipsius vocis *urbanus* usum adhuc localem, nunc translatum illud *ut nunc loquimur* referre (Heerdegen 6): „Klar ist, daß es sich um eine sprachliche Neuerung handelt, welche bei dem Wort *urbanus* Platz gegriffen haben muß.... Vielmehr kann Cicero dabei nur an das Aufkommen jener zweiten Hauptbedeutung unseres Worts ‚stadtmäßig feingebildet' gedacht haben, von der oben die Rede war, und die ihm damals noch als etwas verhältnismäßig Neues gegenüber dem Sprachgebrauch der älteren Zeit bewußt gewesen sein muß." At id quod ex illis additis verbis sequitur „adhuc Romani aliter locuti sunt" non ad vocis *urbanus* usum mutatum spectare possunt sed ad ea verba, quae apud vetustiores idem valebant atque apud recentes *urbanus*.

[2]) De adverbii forma in — *im* exeunte egit A. Funck, Die lateinischen Adverbia auf —im, ihre Bildung und ihre Geschichte (Archiv f. lat. Lexikogr. 8, 1893, 77—114).

[3]) Cf. Verhandlungen d. 55. Versamml. deutscher Philologen in Erlangen 1925, p. 25 s., ubi de Heerdegeni sententia typis non impressa refertur.

tempore ad vituperandos plerumque illos, qui quamquam in urbe vitam agunt tamen rusticorum more se gerunt.[1]) Quae vis apparet ex compositi *subrusticus* usu, quod non ad locum et regionem sed ad morem pertinet (Brut. 137 *ipso sono quasi subrustico.* 259 *sonabat . . . subagreste quiddam planeque subrusticum.* Or. 161 *quin etiam, quod iam subrusticum videtur.* fam. V, 12, 1 *pudor quidam paene subrusticus*). Hanc ad vim confirmandam multum valuisse verbi *ἀγροῖκος* usum ex eo apparet, quod voce *rusticus* vocabulum *ἀγροῖκος* vertitur nonnullis locis. In primo de officiis libro (I 129), quo Cicero Panaetium sequitur, vero corporis movendi decori duo opponuntur vitia: *quibus in rebus duo maxime sunt fugienda, ne quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum sit.* Licet conferre Aristophanis de lingua iudicium (frg. 685, v. s. p. 13), ubi *διάλεκτος ὑποθηλυτέρα* opponitur *ὑπαγροικοτέρᾳ*; verisimile est a Panaetio illud vitium voce *ἀγροῖκος* nominatum esse. Etiam in tertio libro (III 39) verbum *ἀγροῖκος* verbo *rusticus* interpretari videtur Cicero ad notandam stultam quorundam philosophorum pertinaciam: *Urgent rustice sane: negant enim posse et in eo perstant.* Intellegitur ex hoc usu Romanos haud aliter atque Graecos iudicare rusticis deesse verum decus, quo in usu familiari et publico opus est. Quo fit ut illi mores, quibus in ipso rustico minus offenditur, in urbano moribus propriis expolito vehementer vituperentur. Differt autem ab urbano rusticus primum in sermone, qua de re Cicero agit (de or. III 42 ss., v. excursum II); nec mirum est illum sonum rusticum reprehendi apud eruditos (Brut. 259). Porro autem rusticorum se habendi modus in circulis atque coetibus discrepat a ceteris, quod satis perspicuitur ex eo, quod decoro opponitur tamquam vitium (off. I 129. cf. etiam *pudor paene subrusticus* fam. V, 12, 1). Quo fit ut omnia, quibus violantur praecepta in consuetudine hominum observanda, nota *rusticus* condemnentur: sic scribit de Bruto, qui aliquid non recte fecit, Cicero ad Atticum (Att. XII, 36, 2) *Cogitanti enim mihi nihil tam videtur potuisse facere rustice.* Porro cum sales, quibus

---

[1]) Apud Plautum semel occurrit *rusticus* translate usurpatum, sed textus nimis incertus est quam ut hic locus pro testimonio haberi possit: Persa 168 s. (numeri sunt anapaesti)

Satis fuit indoctae, immemori, insipienti dicere totiens.
Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam esse abs te.

Usener (Rh. Mus. 17, 1862, 469) *pro rustica* glossam esse iudicavit et coniecit *pro barda et rulla*, quod verbum ex glossariis ascivit: *Rulla: χωρική, ἀγροῖκος* CGL II 176, 1. cf. *Rullus: mendicus, αγύρτης* CGL II 175, 60. Verbum *rusticus* coniunctum cum verbis *indoctus immemor insipiens bardus*, quibus opponuntur 176 *memini et scio et calleo et commemini*, congruit cum verbi *ἀγροῖκος* usu, cf. praecipue Ar. Nub. 628

οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ' ἀγροῖκον οὐδένα,
οὐδ' ἄπορον οὐδὲ σκαιὸν οὐδ' ἐπιλησμόνα.

Rusticus ergo si recte traditur ad Graecum usum hoc loco accommodatum est.

excellunt urbani, et facete iocandi facultas desit rustico, ioci insulsi et inconditi notantur verbo *rusticus:* Cic. Planc. 35 *et quia exit aliquando aliquid si non perfacetum, at tamen fortasse non rusticum, me id dixisse dicunt.* Ad rusticum aspere iocandi modum spectat id quod Cassius scribit de Pompeio ad Ciceronem (fam. XV, 19, 4): *Scis Gnaeus quam sit fatuus; scis quo modo crudelitatem virtutem putet; vereor ne nos rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι.* Proprium est ergo huic rusticae irrisioni, quod non parcit adversario, ut solent eruditorum facetiae, sed duriter cum eo agit. Maximum autem est, quod rusticus expers est illius doctrinae et eruditionis qua urbis incolae imbuuntur, qua re rusticum rudem et ad animum fingendum hebetem contemnunt urbani. Rusticum esse inopem eruditionis et litterarum scientiae docet Cicero: Arch. 24 *Quid, noster hic Magnus . . . nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, s e d r u s t i c i a c m i l i t e s dulcedine quadam gloriae commoti . . . magno illud clamore approbaverunt?* Unde adiectivum translate usurpatur; opponitur una cum verbis *stultus, amens, nullius consilii* vocibus *doctus* et *eruditus.* Fam. XV, 19, 1 Cassius profitetur se enumeraturum esse Ciceroni *rusticos Stoicos,* quod Cicero Epicureum quendam derisit (fam. XV, 16, 1—2), qui male vertit Graecum verbum *εἴδωλον* voce *spectrum,* quod uterque rusticum esse iudicat; iocose Cassius rusticis illis hominem Athenis oriundum opponit. *Rusticus* summum inscientiae gradum indicat Brut. 180: *Sed omnium oratorum sive rabularum, qui et plane indocti et inurbani aut rustici etiam fuerunt. . . .* Superant rustici eos qui neque docti neque urbani sunt, cum non modo careant ratione rhetorica, ad quam *doctus,* et communi litterarum scientia, ad quam *urbanus* spectat, sed habeant praeterea aliquid durum et stultum quo offendit homo eruditus. Eodem modo indoctos superari a rusticis dicitur Cato maior 75, ubi verbum non translate usurpatur: agitur de militibus, qui cum ex rusticis maxima ex parte conscribantur, saepe nominantur cum rusticis coniuncti (v. s. Arch. 24): *Quod igitur adulescentes et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent?* Sic de industria opponuntur off. III 77 philosophi et rustici, quorum alteri doctrinae, alteri inscientiae summam perhibent: *Haec non turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent?* In oratione pro Roscio Amerino habita (120) cum rusticanis servis *litterae et urbanitas* servorum Chrysogoni comparantur, qui in urbe vivunt; Att. II, 15, 3 Cicero opponit hominibus perurbanis, qui totos dies philosophari in animo habent (cf. Att. II, 14) rusticos homines plane ineruditos, quos tamen relaxationis cupidus praefert doctissimis illis (v. i. p. 28). Multis ergo locis intellegitur rusticum politionis cum habitus tum animi expertem esse et ab eruditorum sodalitate

prohiberi natura, quo fit ut omnia quae nihil commune habent cum illa doctorum natione, sive ruri sive alicubi vivunt, huius verbi nota designentur. Itaque quod politioni contrarium est et a more eruditorum abscedit, rusticum nominatur; Or. 161 *Quin etiam quod iam subrusticum videtur, olim autem politius* verbo *subrusticus* pronuntiandi litteras certus modus abhorrere ab eruditorum consuetudine indicatur; eodem modo intelligenda sunt Nigidii Figuli verba (Gell. XIII, 6, 3) *rusticus fit sermo, si aspires perperam* (v. i. p. 70).

Hic, quem contemnit urbanus, habitus urbanitati contrarius proprio nomine *rusticitas* nondum appellatur Ciceronis tempore; occurrit *rusticitas* primum apud Ovidium praecipue ad indicandum pudorem et viro et femina libera indignum, quem iam Cicero *pudorem paene subrusticum* nominaverat (v. s. p. 21): ars am. I 672 *Ei mihi, rusticitas, non pudor ille fuit.* Heroid. 19, 59 *et decor et motus sine rusticitate pudentes* cf. am. I 8, 44. Her. 16, 186. Sen. ben. II 3, 2. Significat praeterea simplicitatem (Sen. n. qu. IV prooem. 5) et habitum pristini temporis incultum nec deliciis expolitum: Ovidius ars am. III 128 gaudet sui aevi victu, non quod abundat pretiosissimis rebus ex omnibus terris advectis,

sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
rusticitas priscis illa superstes avis.

cf. Sen. epist. 86, 11, Mart. VII 58, 8. Qui habitus posteriore tempore interdum pro laude habetur ab eis qui in nimia offendunt luxuria: Plin. N. h. 35, 26 *M. Agrippa vir rusticitati propior quam deliciis.*

Interdum etiam verbum *agrestis* declarat id quod urbanis moribus oppositum est, eis praecipue locis, ubi Graecum verbum *ἀγροῖκος* interpretandum est, cum *rusticus* ante Ciceronis tempus translate non usurpetur.[1]) Vertitur *ἀγροῖκος* verbo *agrestis* Ter. Ad. 866

Ego ille agrestis saevus tristis parcus truculentus tenax,

quibus verbis redditur Menandri versus

ἐγὼ δ' ἀγροῖκος ἐργάτης σκυθρός πικρός
φειδωλός

(frg. 10). Plerumque autem *agrestis*, quod ab initio in duas partes adhibetur, aut ad indicandum id quod in agro est, aut quod more ferarum inculte et aspere vivit (cf. Heerdegen, Rusticus und Agrestis 25 s.), tantum incultae asperitatis sine hominum societate significat, quantum *rusticus*, quod pertinet ad rus et agriculturam, numquam habet. Qua in parte verbum *ἄγριος* potius reddit, denotat enim id quod neque civitatis legibus neque alio hominum foedere mansuefactum et in ius et amicitiam deductum est; quare ille status primus hominum, in quo neque agricultura neque artes, ne pastores quidem

---

[1]) Nisi fortasse Persa 169. cf. p. 21, 1.

erant, verbo *agrestis* designatur. Cf. Cicero de or. I 33 *Quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere aut iam constitutis civitatibus leges iudicia iura discribere?* [1]) Discernit inter notiones *agrestis* et *rusticus* Cicero in oratione pro Roscio Amerino habita, ubi vitam rusticam ab accusatore horridis coloribus depinctam praedicat: *Vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas* (75). Laudat Cicero rusticos mores et victum aridum, quem coniungit multa cum ironia cum illa *horrida incultaque vita* quam descripsit adversarius. Apparet ex Ciceronis defensione accusatorem, ut Roscium paricidam esse demonstraret, depinxisse vitam quae ruri agitur agrestem id est horridam incultam feram, cum Cicero hanc vitam malit rusticam id est innocentem praecipue vocare. Videmus quanta differentia intercedat inter voces *agrestis* et *rusticus*. Cum ergo *agrestis* hominem ferum cum humani tum civilis cultus expertem significet, *rusticus* imperitum honesti et decori quo in usu cotidiano excellunt urbani, *agrestis* proprie voci *urbanus* oppositum non est.

Quamquam ergo urbanitas, habitus urbana vita procreatus, cuivis urbi propria est qua differt a rure et rusticis moribus, tamen ad unam urbem Romam saepe eam pertinere ex nonnullis locis apparet, quod ex verbi *urbs* usu facile explanatur. In Ciceronis Bruto *urbanitatis color*, quo oratores Romae viventes ab externis differre Cicero contendit (170—72), ipsi Romae tribuitur. Locutioni in Gallia usitatae opponitur sapor vernaculus (172) qui Romae incolarum imbuit orationem, ut inter Graecos Atheniensibus quidam sonus proprius est. [2]) Porro fam. IX 15, 2 Romanos veteres atque urbanos sales, quos aliis locis Cicero veterem urbanitatem vocat (fam. VII 31, 2. Qu. fr. II 8, 2), queritur Cicero corrumpi Latinis, peregrinis, quin etiam barbaris in urbem Romam affluentibus: apparet hanc quoque urbanitatem, quae facetiarum et salis summa est, Romae esse propriam. Similiter verbis *urbs* — *urbanitas*, quae salem peculiarem valet, ludit Cicero fam. VII 32, 2, nam aegre fert suam ipsius urbanitatem alienis dictis minus facetis corrumpi, quia tanta faex est in urbe, ut ipsa urbs tamquam vitiet virtutem suam urbanitatem. Alia urbanitatis notio magis universa in epistulis ad Trebatium missis eo tempore quo ille cum Caesare in Gallia erat per iocum magis cum Roma coniungitur: (fam. VII 6, 1. 17, 1) *desiderium urbis et urbanitatis*, unde intellegitur hanc urbanitatem urbi Romae

---

[1]) Oppositum esse verbum *agrestis* certo vocis *humanus* usui demonstravit Reitzenstein, Werden und Wesen der Humanität (Kaisergeburtstagsrede Straßburg 1907), 24 s.

[2]) Etiam de or. III 42 ss. optima litterarum pronuntiatio, quae illius urbanitatis pars est, urbis Romae incolis tribuitur, rusticis et peregrinis deesse iudicatur.

insidere et quasi defixam esse nec alia in loca auferri posse. Jocose etiam Cicero ad Appium Pulchrum qui Romam rediit scribit (fam. III 9, 1) *Aspectus videlicet urbis tibi tuam pristinam urbanitatem reddidit.* Ex his locis apparet urbanitatem sive serio sive iocose pro urbis Romae propria possessione haberi, cuius nulla alia regio particeps est. Aperte hoc dicitur a Domitio Marso in urbanitatis descriptione apud Quintilianum (VI 3, 103): *Urbanitas . . . quam propriam esse nostrae civitatis et sero sic intelligi coeptam, postquam urbis appellatione, etiam si nomen proprium non adiceretur, Romam tamen accipi sit receptum.* Cum *urbs* nomine proprio Romae detracto Romam significet ab eodem fere tempore quo substantivum *urbanitas* usurpatur, recte coniecisse Marsum credamus; praecipue cum rhetoricam urbanitatis notionem in animo habeat, cui Cicero primus illas partes tribuit quas habet apud Graecos Atticorum locutio et in sermone et in publica oratione. Aliis contra locis *urbanitas* rusticis solis opposita certae urbis Romae nullam apertam significationem habet: Rosc. Am. 120 urbanorum servorum *litterae et urbanitas* rusticanis servis opponuntur; Cicero filius ad Tironem scribit (fam. XVI 21, 7) *Deponendae tibi sunt urbanitates, rusticus Romanus factus* es. Utroque loco urbem Romam intellegere necesse non est.

Itaque ut urbi si Romam significat non rustici solum sed peregrini, provinciales, barbari opponuntur (cf. Heerdegen, Urbanus p. 12 s.), ita urbanitati, id est et cuiusvis urbis et ipsius Romae virtuti, contraria sunt non solum rusticus habitus sed etiam peregrinorum proprietates. Praeterea mirum non est urbanitatem, etiam si ad urbis in universum propria attinet, ad Romam referri, quae omnis urbani cultus Romanis praeclarissimum exemplum erat.

III. De urbanitate cotidianae consuetudinis virtute ex urbana vita genita.

Primum illam se gerendi et cum ceteris hominibus vivendi virtutem quam Graeci verbo *ἀστεῖος* significant, Romani urbanitatem vocant. Complectitur omnia quibus curatur ut cotidiana hominum eruditorum consuetudo clementia et comitate expoliatur. Accedit haec vis ad eam se habendi et gerendi virtutem quae *humanitas* vocatur: De or. II 365 *quod si esset aliter* et *aliquid intellegerem ab Antonio praetermissum, non essem tam inurbanus et paene inhumanus, ut in eo gravarer quod*

vos cupere sentirem.[1]) *Humanitas* tamen non solum ad se habendi modum in eruditorum circulis observandum spectat sed ad officium in omnes homines praestandum, quod ex verbo *paene* ad vocem *inhumanus* additum intellegitur. Cum humanitate coniungitur urbanitas etiam fam. III 9, 1: *Vix tandem legi litteras dignas Ap. Claudio, plenas humanitatis, officii, diligentiae. Aspectus videlicet urbis tibi tuam pristinam urbanitatem reddidit.* Tres illae virtutes humanitatis officii diligentiae, quibus in communitate vitae opus est, conficiunt urbanitatem. Eandem vim habet *urbanus* de or. II 236, ubi inter causas, quae ad iocum adhibendum oratorem commovent, affertur *quod ipsum oratorem politum hominem esse significat, quod eruditum, quod urbanum.* Quid valeat *urbanus* ex adiectivis iuxta positis cognoscitur: *eruditus* ad litterarum scientiam plerumque spectat — saepe dicitur *litteris eruditus* —, *politus* ex opificum labore ad homines translatum significat se gerendi elegantiam et iucunditatem nulla in re asperam; cf. de or. II 40 *nox te expolivit hominemque reddidit.* II 154 *humanitate politus.* Brut. 95 *omni vita atque victu excultus atque expolitus. Urbanus* ergo ut *eruditus* et *politus* hominem litteris et artibus excultum significat; quae eruditio apparet in facetiis ab oratore adhibitis, id est in iocis libero homine dignis, qui nisi iure non laedunt et hominum dignitati atque condicioni parcunt. Morum ergo comitas et iucunditas praeter alias res etiam facetias complectitur;[2]) fluit ex hac se gerendi et cum aliis vivendi communi virtute, quam *eruditus politus urbanus* significant, propria quaedem facetiarum et iocandi virtus *urbanitas* appellata, quae salis moderationem et temperantiam valet (v. i. p. 46). Comitatem et clementiam porro indicat *urbanus* Cael. 33: *Sed tamen ex ipsa quaeram prius, utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit an remisse et leniter et urbane.* (cf. 36 *Sin autem urbanius me agere mavis.*) Quam vim *urbanus* habeat ex verbis *remisse* et *leniter*, quibuscum coniungitur, intellegitur. Opponitur voci *urbanus* praecipue verbum *priscus* — iunctura enim *remisse et leniter* respondet vocibus *severe et graviter* — quod habitum significat antiquorum hominum; huius moris defensor inducitur Ap. Claudius Caecus, senex durus et paene agrestis (36), austero more loquens, qui ad virtutem Clodiam hortatur, cum Clodii urbanissimi (36) oratio remissa et lenis, quam fingit Cicero ad alterum morem illustrandum, superfluat levitate et nequitia. Apparet ex hac collatione illum habitum

---

[1]) De humanitate egit Reitzenstein, Werden und Wesen der Humanität im Altertum, v. adn. 19. Heinemann, Real-Encyklopädie Suppl. V 1931 282 ss.

[2]) Iocandi moderationem oratori benevolentiam auditorum conciliare docet Aristoteles (Rhet. II 1381 a 33 ss.), quod ad ἦθος τοῦ λέγοντος pertinet. Qua re confirmatur hoc quoque loco ad facetiarum moderationem verbum *urbanus* imprimis referendum esse.

lenitate et indulgentia praeditum, quem *urbanus* significat, recentis temporis possessionem esse, qua gloriantur huius aetatis homines prisca severitate repudiata; Cicero hanc urbanitatem, qualem interpretatus est Clodius, multo cum acumine vituperat, quod illi urbani comitate et lenitate abusi virtutem vertant in levitatem. Confert cum urbanitatis recenti laude patrum morem severum ab illis contemptum, ita tamen ut prisci quamquam expertes lenitatis et indulgentiae iustitia et integritate vincant recentes.

Cohaeret haec vis cum illo usu, quo usurpatur *urbanitas* ad declarandam omnem eruditionem multiplici litterarum scientia imbutam, quae significatio ad humanitatis notionem, quae animi culturam significat, prope accedit. Occurrit *urbanitas* hoc sensu in oratione pro Roscio Amerino anno 80 habita, ubi Cicero de rusticis servis, quos Chrysogonus apud se retinet, multa cum ironia agit: (120) *Ita, credo, litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos ex tot elegantissimis familiis lectos velit hos versari, homines paene operarios, ex Amerina disciplina patris familiae rusticani. Non ita est profecto, iudices; non est verisimile ut Chrysogonus horum litteras adamaverit aut humanitatem.* Verbis initio usurpatis *litterae et urbanitas* (120) respondent in fine *litterae aut humanitas* (121), unde satis apparet quam arte cohaereant urbanitas et humanitas. *Urbanitas* quamquam imprimis litterarum scientia est, omnibus urbanae vitae munditiis quoque ornatur, quae verbis *deliciae, artes, pueruli, elegantissimae familiae* circumscribuntur; eo autem consilio voce *urbanitas* utitur Cicero hoc loco, quo magis intelligatur rusticos illos servos carere ea litterarum scientia, qua pueri in urbe educati superant operarios rusticanos, ut Roma urbanitatis sedes Ameriam oppidum. Simili ratione usurpatur adiectivum *non inurbanus* ad indicandam omnis elegantiae et oblectationis quae urbanae vitae propriae sunt peritiam et usum apud auctorem artis rhetoricae ad Herennium missae (IV 64), quo loco primum translata vis occurrit: *Sannioni puero negotium dederat, ut vasa vestimenta pueros rogaret: servolus non inurbanus satis strenue et concinne comparat.* Urbanitatis laus ut in oratione Rosciana servo cuidam tribuitur, pertinet autem non ad litteras et artes hoc loco sed ad externum cultum, cuius in singulis rebus afferendis puer ille minime rudis est. Ad idem spectat *urbanus* in Ciceronis oratione in Clodium habita (frg. XIV Schöll = XIII M. 22), qui locus infra exscribitur (p. 30); Cicero opprobrio dat Clodio, quod urbanitatis ducit habitum luxuriosum et effeminatum. Cum humanitate coniungitur *urbanitas* ad eruditionem indicandam porro de or. II 40 *Nox te, inquit, nobis Antoni expolivit hominemque reddidit. Nam hesterno sermone uniuscuiusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem de-*

scripseras, inopem quendam humanitatis atque inurbanum. Remigi et baiulo opponitur sublata negatione humanus et urbanus orator, id est orator non modo rhetoricis praeceptis sed omni doctrina et scientia institutus, qualem Crassus instituit in primo libro, cum Antonius neglectis ceteris studiis dicendi tantum et persuadendi peritum esse velit oratorem. Cum ergo Crassus illum quem proponit Antonius oratorem remigem nominet, *humanus* atque *urbanus* ad ceterarum rerum scientiam spectant, in quibus imprimis est iuris prudentia et philosophia. Verba initio facete in Antonium dicta *Nox te nobis expolivit hominemque reddidit* respondent verbis *inops humanitatis atque inurbanus*, ita ut expolitio, quae haud raro ad litteras et doctrinam spectat (cf. de or. III 139 *doctrinis omnibus expolire*, vel II 72 *politior humanitas* iuxta *communes litterae* positum) cum urbanitate congruat. Itaque homines philosophiae nimis studiosi *perurbani* vocantur (Att. II 15, 3 cf. II 14, ubi Arrius et Sebosus, perurbani illi, quorum e manibus elabi Cicero cupit, *philosophari totos dies* cum eo concupiscunt). Defertur haec communis eruditionis virtus ad orationis colorem: Brut. 285 *Sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat.* Valent *politus elegans urbanus* ad describendum eum orationis colorem, qui fluit ex ipsius oratoris eruditione. Similiter in Ciceronis de L. Torquato iudicio eruditio in dicendi genere apparet: Brut. 239 *elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus* et in Sulpici oratione describenda (Brut. 227): *et erat eius* (scil. orationis) *quidam tamquam habitus non inurbanus.*

Cum urbanitas significet multarum rerum scientiam, qualis ex urbana vita litteris et artibus instructa hauritur, saepius cum doctrina coniungitur, ita tamen ut differentiam esse inter utramque appareat. Lucilius a Cicerone bis nominatur *homo et doctus et perurbanus* (de. or. I 72. II 25), qua in laude partitio verbis *et — et* facta docet doctrinam et urbanitatem inter se differre. *Urbanus* quamquam etiam facetiarum salem et acumen saepe laudat, in quibus excellere Lucilium omnes auctores et Cicero imprimis consentiunt (v. i. p. 44), tamen, quoniam urbanitas hoc loco cum doctrina comparatur, praeterea praepositione *per-* ad summum gradum effertur, ad universam magis eruditionem spectat. Simili ratione inter doctos et urbanos discernit Cicero Brut. 180: *Sed omnium oratorum sive rabularum, qui et plane indocti et inurbani aut rustici etiam fuerunt. . . .* Proprie autem distinguit inter utramque scientiae formam apud Lucilium observatam fin. I 7: *et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris.* Minuitur hoc loco ut videtur Lucilii doctrina, quod Cicero de philosophia agit, Lucilius autem grammaticae praecipue arti operam dedit. Illud autem magni momenti est, quod levioribus

scriptis urbanitas accommodata est, doctrina ad graves et difficiles spectat res. Inferior ergo est urbanitas quam vera doctrina, si scientiae gradus respicitur. Contra doctrinam urbanitate suppleri et expoliri ex urbanitatis interpretatione intellegitur, qualem Cicero in compluribus epistolis ad Appium Claudium Pulchrum annis 51—50 scriptis exhibet (fam. III 7—9). Discimus ex illis epistulis Appium Claudium ob officia quaedam neglecta iratum vehementer et ut videtur asperis verbis Ciceronis neglegentiam vituperavisse. Qua asperitate offensus Cicero Appio urbanitatis officium ante oculos ponit in tribus illis litteris. Alterius epistulae verba iam supra allata sunt (fam. III 9, 1), ubi urbanitas valet comitatem et officium in amicos praestandum (v. s. p. 26). Ex ceteris optime intellegitur, quem locum Cicero huic urbanitati tribuat in illis nobilis viri laudibus, quibus Claudium in pristinam amicitiam reducere studet. Nominatur Appius III 7, 5, *homo mea sententia summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant.* Eaedem laudes tribuuntur Appio fam. III 8, 3: *Primum te, hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari.* Utroque loco primum laudatur scientia: *prudentia*, quae indolis et ingenii virtus est, *doctrina*, quae ad rationem, *usus*, qui ad peritiam spectat, uno verbo *sapiens* in altera epistula colliguntur; augetur haec praedicatio urbanitatis nova et egregia laude, quam non communem esse ex verbis quibus ceteris virtutibus adiungitur apparet: *addo urbanitatem* III 7, 5: *non solum — verum etiam* III 8, 3. Doctrina ergo et usus ad summam ducuntur urbanitate, quae intellegenda est eruditio artibus, litteris, morum suavitate praedita. Apparet ex tribus his epistulis, quam arte singulae urbanitatis partes inter se cohaereant: clementia et se gerendi suavitas artissime coniunctae sunt cum eruditione animi et una cum ea conficiunt illum habitum, quem huius aetatis homines ut propriam laudem prae se ferunt. Hanc urbanitatem Cicero III 7, 5 virtutem appellat, sed non neglegendum est ad hanc opinionem defendendam eum Stoicorum auctoritate se obtegere, quam verbo *rectissime* confirmat. Quaerimus, quomodo Stoicorum virtus quae *urbanitas* appellatur intelligenda sit.[1]) Videtur Cicero substantivum quoddam Graecum in animo habere, *ἀστειότης* sive *ἀστειοσύνη*, quae nos apud auctores tantum, qui post Christum natum scribunt, legimus. *ἀστεῖος* in priore Stoica doctrina idem valere atque *σπουδαῖος* vel *ἀγαθός* supra dictum est (p. 18), quem ad usum haec Ciceronis verba vix referri possunt. Aliam significationem autem apud Stoicos viguisse ex nonnullis Romanorum testi-

---

[1]) Lutsch ex Ciceronis verbis conclusit novam urbanitatis notionem, quae iustitiam valet, hoc tempore ex Stoico usu induci.

moniis comperimus. Stoicos in controversiis et disputationibus, quibus alienas doctrinas refutare student, moderate et comiter cum adversario agere docet Cicero; quae moderatio, qua imprimis ab Epicureis differunt, *urbanitas* ab eis apud Ciceronem nominatur (de nat. deor. II 74. v. i. p. 49). Idem in satura a Stoicis postulatum esse concludere licet ex Horatii sermone I 4, 90 (v. i. p. 50). Ad hanc ergo Stoicorum ἀστειότητα Cicero reicit Appium Claudium in Romana urbanitate virtute declaranda.

Urbanitatem ergo eruditionem ex urbana vita sumptam et urbanis moribus excultam sine doctrina levem tantum rem esse Ciceronis de Lucilio iudicium docet, contra doctrinam ad summam duci, si urbanitate expolitur, ex Appii Claudii laudatione intellegitur. Quam rationem ipse Cicero sequitur, cum multiplicem quam tradit doctrinam non libris nudis exilibusve profert, sed sermonibus omni urbanitate imbutis.[1])

Significat ergo *urbanitas* earum proprietatum summam, quas vita urbana et mores urbani procreant atque excolunt, in quibus est praecipue variarum rerum scientia et se gerendi in cotidiano usu comitas et facilitas. Mirum non est homines huius vitae participes atque praestantiae eius commodorumque conscios hanc urbanitatem prae se ferre: floret verbum *urbanitas* Ciceronis praecipue aetate nec ab eo solum sed a multis certi ordinis et educationis hominibus saepe usurpatur. Quem usum testantur ipsius Ciceronis verba ad Appium Claudium Pulchrum anno 51 scripta (fam. III 8, 3): . . . *te, hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum* (v. s. p. 20. 29). Intellegitur ex his verbis vocabulum *urbanus* ea vi, qua a Cicerone hoc loco usurpatur, apud multos vigere. Unus ex urbanitatis amatoribus Clodius fuisse videtur; in oratione enim pro Caelio habita Clodiae gentis urbanitatem ironia sua Cicero obruit: *urbana* illa nominatur adhortatio, quam proferre fratrem Clodiae fingit Cicero indulgentiae et levitatis plenam, omni virtute et dignitate carentem (36 ss.), ipse autem Clodius vocatur *in isto genere urbanissimus* (36). In deperdita in Clodium oratione, ubi mollem et effeminatum Clodii cultum Cicero describit, eadem cum ironia Clodium urbanum, ceteros Romanum morem sequentes rusticos nominat: (orat. frg. XIV Schöll XIII M. 22) *Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam et mitram et purpureas fascias habere non possumus. Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare vultum, attenuare vocem, laevare corpus potes.* Videmus vocem *urbanus*, quae hoc loco de industria a Cicerone ad speciem tantum elegantem refertur, laudem singularem continere quam assequi omnes quam

---

[1]) Cf. quae de hac re ipse Cicero profitetur Tusc. II 6—9.

maxime student. Ad Clodii urbanitatem spectare videntur porro verba de dom. 92: *et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum et venustum;* cum Clodii urbanitatem laudare videtur, suam ipsius hoc loco urbanitatem praestat Cicero eo, quod Iovis comparationem a Clodio irrisam in ipsum Clodium elegantissime vertit. Alio Ciceronis loco vox *inurbanus* occurrit in Clodii ipsis verbis allatis (Qu. fr. II 1, 3): *Tum Clodius rogatus diem dicendo eximere coepit; furebat a Racilio se contumaciter inurbaneque vexatum.*[1]) Veri dissimile non est Ciceronem ipsius Clodii verba aliquo modo retinere, praesertim cum *inurbanus* spectet ad clementiam et humanitatem ut Cael. 33. 36. Illa urbanitas a Clodio aliisque commendata recentis aetatis gloria est priscae et obsoletae ut illi iudicant severitati contraria, quae ex urbanae vitae iucunditate exorta depellit pristinam severitatem et tristitiam horridas et incultas. Quod ex Ciceronis antiqui et novi moris comparatione per Ap. Caecum et Clodium in Caeliana oratione proposita optime intellegitur; Cicero ipse hanc recentem urbanitatis gloriam ludificatur, quod caret virtute et gravitate. In eandem antiqui moris contemptionem invehit Varro rusticarum rerum et antiquitatis sincerae amator, cum patrum auctoritati opponit recentes illos qui se urbanos vocant: r. r. I 2, 1 . . . *ab aeditumo, ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo.* Aegre fert Varro, quod patrum auctoritas tangitur et novae verborum formae finguntur a quibusdam grammaticis, quos ut recentes aspernatur hoc loco et in libro quem de sermone Latino conscripsit (frg. 56 G.-S.=Gellius XII 10): *Aeditumum dici oportere censet* (scil. Varro) *magis quam aedituum, quod alterum sit recenti novitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum.*[2]) Etiam Cicero de eis queritur, qui consuetudinem adhuc probatam corrigunt: Or. 155 *Atque etiam a quisbusdam sero iam emendatur antiquitas.* Cum Varro hoc tantum loco verbo *urbanus* translate utatur, concludendum est de industria eum eo nomine uti ad recentes illos denotandos, quod omnes qui a patrum more abhorrebant pro maxima ducebant laude, illosque linguae emendatores se ipsos urbanos nominavisse. Porro ex Ciceronis epistulis ad Trebatium scriptis (fam. VII 6, 1. VII 17, 1) videmus Trebatium novae urbanitatis amatorem fuisse, cum bis commemoretur eius *urbis urbanitatisque desiderium*, unde talia eum scripsisse conicere licet. Cum Cicero

---

[1]) Recte *urbaneque* quod habent MSS in *inurbaneque* correxit R. Müller, quod necesse est propter vocem *contumaciter:* cf. e. g. Verr. II 192 *quis contumacior, quis inhumanior, quis superbior?*

[2]) Forma *aedituus* etiam in vetustiorum auctorum codicibus traditur (Plaut. Curc. 204), ubi correcta esse videtur ex genuina forma eo tempore, quo *aeditumus* rarius dicebatur. Cicero formae *aeditumus* usum testatur Top. 8, 36, ubi verba *finitumus legitumus aeditumus* propter exitum eundem coniunguntur.

hoc desiderium propter levitatem reprehendat (VII 17, 1) et ad assiduitatem et virtutem Trebatium adhortetur, haec urbanitas non multum abesse a Clodiana videtur; praeterea cum nisi ipsa Roma non inveniatur, id quod queritur Trebatius, omnis urbanae vitae commoda ea contineri necesse est:[1]) similiter Cicero filius verbo *urbanitas* utitur, quod plurali forma adhibet (fam. XVI 21, 7): *Deponendae tibi sunt urbanitates, rusticus Romanus factus es;* unde apparet varia commoda scientias mores urbanitate contineri. Videtur etiam cum Verrem et amicos eius Cicero verbo *urbanus* laudat (Verr. I 17) *cum iste et istius amici, homines lauti et urbani, sermones eiusmodi dissipassent* . . . ex mente ipsius Verris et eorum loqui, qui propter opera et artificia, quae ex provinciis domum portaverant, se humanos et urbanos putabant,[2]) quas laudes Cicero ironia detrahere conatur. Fortasse etiam locutio quam Cicero in translationis exemplis affert (de or. III 161) *odor urbanitatis* sumpta est ex huius temporis consuetudine; Cicero ipse de colore tantum urbanitatis loquitur (Brut. 170), quod odori aliquo modo respondet, sed ad orationem praecipue describendam aptum est, cum *odor* in hominum habitum et mores optime cadat. Etiam ex Catulli de Suffeno carmine cognoscimus, quam libenter huius aetatis homines se urbanos vocari audiant; Suffenus bis verbo *urbanus* laudatur: 22, 2

homost venustus et dicax et urbanus

9 *bellus ille et urbanus.* Tum contra exspectationem vocatur *caprimulgus aut fossor*, id est rusticus (10), quia

infacetost infacetior rure,
simul poemata attigit

(14 s.). Defertur hoc loco *urbanus*, quod hominem omnibus in rebus eruditum indicat, ad orationis colorem non tam sale et ioco quam elegantia et venustate conditum. Ad eandem spectant rem *facetus* et *infacetus*, quae praeter salem etiam remoto iocandi sensu saepe significant formam politam (Auct. Herenn. IV 16. Cic. de or. I 32. Brut. 109. 325. cf. Ribbeck, Agroikos 53 A. 3). Hanc expolitionem deesse ruri, urbi propriam esse ex Catulli versu intellegitur. Horatius cum de Vergili carminibus iudicat (serm. I 10, 44)

molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae

laudat poetam, quod rus asperum et infacetum argumentum suum tractaverit urbana expolitione.

---

[1]) Iure negavit Heerdegen (Urbanus 25, 2) his locis urbanitatem nihil nisi „Stadtleben" intelligendam esse; neglexit tamen urbanitatem, qualis hic describitur, extra urbem non inveniri, id quod Trebatii desiderium concitat. Cicero cum urbanitatem ad urbem religat, secundum Trebatii opinionem hoc facit, sed cf. quantis laudibus ipse urbem extollat fam. II 12, 2 (i. p. 33).

[2]) Cf. Reitzenstein, Humanität 25.

Docet verbum *urbanitas* dirigi et converti vitam ad leges certo loco aptas: primum urbs externam speciem hominum, domorum, totius denique vitae expolit proprioque colore imbuit;[1]) modo, cum omnium scientiarum et artium domicilium facta est, animos litteris et doctrina excolit, praeterea in multorum hominum usu frequenti proprios se gerendi et cum ceteris vivendi mores suavitate et lenitate praeditos instituit. Qua via certi temporis homines in sodalitatem quandam inducit; quae sunt extra hanc societatem nota *priscus* aut *rusticus* designantur. Qui habitus novus quamquam in quavis urbe invenitur, modo artibus litteris scientiis floreat, tamen Romae humanitatis in sede imprimis viget,[2]) quacum non modo rus sed ne municipia quidem et provinciae urbes comparari possunt[3]); desiderio Romae commotus ad Caelium scribit Cicero ex Cilicia (fam. II 12, 2) *Urbem urbem mi Rufe cole et in hac luce vive: omnis peregrinatio — quod ego ab adulescentia iudicavi — obscura et sordida eis, quorum industria Romae potest illustris esse: quod cum probe scirem, utinam in sententia permansissem, cum una mehercule ambulatiuncula atque uno sermone nostro omnes fructus provinciae non confero.* Ad Curium qui Patris vivit scribit Cicero (fam. VII 28, 1): *Memini, cum mihi desipere videbare, quod cum istis potius viveres quam nobiscum; erat enim multo domicilium huius urbis — cum quidem haec urbs — aptius humanitati et suavitati tuae quam tota Peloponnesus, nedum Patrae.* Accedit haec humanitatis laus ad imperii et virtutis gloriam, quae propria est Romae: De or. I 105 *in hoc domicilio imperii et gloriae;* I 196 *quo amore tandem inflammati esse debemus in eius modi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis imperii dignitatis?* Cat. IV 11 . . . *hanc urbem, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium.* cf. nat. deor. III 21. Cuius habitus urbis proprii participes sunt non cives modo in ipsa urbe nati, sed etiam ei, qui ex municipiis illuc confluunt et Romae a pueris versati urbanae vitae colore imbuuntur; quorum numerum permagnum esse Cicero confitetur (Phil. III 15 v. i.). Quibus omnibus Roma patria est (cf. leg. agr. II 86 *Romam, communem patriam omnium nostrum*), quo nomine colitur maxima pietate et officio; in orationibus in Catilinam habitis hic urbis Romae amor praecipue elucet. Itaque etiam illi qui in municipio quodam nati

---

[1]) Titinius frg. 44 R. togam rusticam commemorat; de villarum rusticarum et urbanarum differentia agit Varro (r. r. I 13, 6. cf. Cato de agr. 3, 2. 4, 1). Servorum urbanorum habitum describit Cicero Rosc. Am. 120, de sermonis differentia agit de or. III 42 ss. (cf. de hac re excursum II).

[2]) De Romae apud Romanos aestimatione egit Bléry (loco p. 10 citato) 88—90.

[3]) Municipiorum incolae cum rusticis coniunguntur Cic. Verr. I 127. Att. IX 13, 4. 15, 3. cf. VIII 13, 2, quamquam haud raro municipia urbes appellantur (e. g. Fregellae Auct. Herenn. IV 22.).

sunt tamen in urbanorum id est Romae incolarum numero se habent: Cicero Arpini natus ingenuum se urbanitatis heredem praedicat (fam. VII 31, 2. 32, 2. v. i. p. 43); lacessitus tantum ab Antonio se et alios multos e municipiis oriundos esse profitetur: Phil. III 15 *Videte quam despiciamur omnes qui sumus e municipiis id est omnes plane: quotus enim quisque nostrum non est?* e. qu. s. Municipia autem carent et imperii gloria et varia illa eruditione, cuius domicilium Roma est; municipalium hominum studia ex urbani hominis fastidio detrahit Cicero Att. VIII 13, 2: *Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani: nihil prorsus aliud curant nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos;* quamquam concedit urbanos minus studere litteris quam Latinos de or. III 43. Urbanitas ergo ipsa Roma imprimis floret cum imperii et virtutis tum doctrinae et litterarum sede et hominum illic educatorum propria virtus est, qua rusticos et municipales paene rusticos nec minus provinciales natura tamquam superant.

Quae urbanitatis aestimatio cum ad humanitatem et litterarum scientiam praecipue spectet nihil detrahit de agriculturae et ruris pretio; aliter enim atque Graeci vir vere Romanus agriculturae operam dat et otium suum ruri atque in agro libentissime consumit.[1]) Cato Censorius honestissimum quaestum esse censet agriculturam (de agr. prooem.) et ipse praecepta dat de agro colendo; testatur Cicero suo tempore, quo reipublicae se dedunt omnes, etsi agriculturae studere neminem licet tamen rerum rusticarum neminem ignarum esse (de. or. I 249). Cuius rei haud parvum testimonium existimandum est saepe ex agricultura sumi imagines in oratione ad rem illustrandam; satis est hoc loco afferre animi culturam cum agro comparatam (Tusc. II 13). Varro prisci temporis amator rusticam vitam anteponit urbanae (r. r. II et III prooem.) et sui temporis agriculturae peritissimos viros de rebus rusticis colloqui fingit, ut decet bonum patrem familias; paulo post Vergilius componit Georgica. Augusteae aetatis homines activae vitae taedio capti refugiunt ad rusticae vitae modicum otium cui parvum sat est, quod philosophi Graeci post interitum rei publicae propter solitudinem et modestam tranquillitatem iam praedicabant: ruris desiderium ex novae comoediae reliquiis cognoscimus. Eiusdem desiderii plena sunt Romanorum poetarum carmina post pacatum imperium: ruri vivere et Horatio beatum videtur (Epist. I 10. serm. II 6. cf. etiam epod. 2) et Tibullo (I 1). Verbum *rusticus* vituperationis loco usurpatur non ad agricolae labores significandos, sed ad eos mores, quibus homo eruditionis inops violat urbanae consuetudinie leges.

[1]) Cf. de or. II 22: *Saepe ex socero meo audivi, cum is diceret socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe tamquam e vinclis evolavissent.*

Cum verbum *urbanus* in usu adhuc tractato quo ab ipsis urbanis usurpatur, qui suam praestantiam maximi aestimant, laudem et virtutem contineat, aliis locis vituperationis aliquid habet; quae vis ex rustici de urbano iudicio fluit animi celeritate inferioris. Itaque spectat *urbanus* ad calliditatem et impudentiam, mollitiam quoque interdum, quamquam his in significationibus non translate adhibetur, sed localem retinet vim. Sic interpretandus esse videtur Pomponii versus (frg. 7)

At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio;

Nonius enim, qui tradit versum, illud *tangere* idem valere ac *cirvumvenire* docet: defraudare autem hoc quidem loco rusticus non minus scit quam urbanus. Occurrit vituperatio quaedam quae in verbo *urbanus* inest apud Plautum nonnullis locis, ubi rusticus de urbano iudicat:

Most. 14 *Tu urbanus vero scurra, deliciae popli,*
rus tu mihi obiectas?

Truc. 658 *Nunc ego istos mundulos urbanos amasios*
hoc ictu exponam atque omnes eiciam foras,

ubi verbo *urbanus* Graecum ἀστεῖος verti coniciendum est. Scurra, quo nomine rusticus servus urbanum servum in Mostellaria reprehendit, etiam in Trinummo, ubi copiose describitur, in urbis propriis habetur (203):

urbani assidui cives, quos scurras vocant.

Scurrae urbano opponitur rusticus quidam etiam apud Phaedrum V 5 in defraudandi quasi certamine: spectatores ab initio scurrae favent, rustici salem contemnunt; poeta autem urbani scurrilitatem a rustici sinceritate superari facit. Hic usus, qui praeter localem vim habet aliquid reprehensionis ex urbanorum morum invidia exortae, occurrit apud Ciceronem div. I 107, ubi ad auguratum defendendum contra eos, qui *ad opinionem imperitorum esse fictas religiones* contendunt, Romuli et pastorum quibus praefuit integritas omni calliditate libera laudatur. Pergit Cicero *Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit nec fictus ad opiniones imperitorum.* Vox *urbanus* cum verbo *pastoralis* opponatur, ad locum et vitae rationem spectare apparet; calliditatem autem simul continere ex verbis additis *nec fictus ad opinionem imperitorum* intellegitur. Eodem modo *urbanus* locali sensu usurpatum ad vitia urbanis propria pertinet Cic. Planc. 22: *Laudanda est vel etiam amanda vicinitas retinens veterem illum officii morem non infuscata malivolentia, non adsueta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano vel etiam urbano.* Similiter videntur interpretanda esse Horatii verba Epist. I 9, 11

Sic ego, maioris fugiens opprobria culpae
frontis ad urbanae descendi praemia

quo loco *urbanus* translate usurpatum valere *impudens* plerumque existimatur (cf. etiam Lutsch 94). Oppugnavit huic inter-

pretationi Heerdegen (p. 22), quod nisi hoc loco — et Cic. prov. cos. 8, de quo loco plerumque perperam intellecto infra agitur — haec vis non inveniretur. Monuit vocem *frons* solam valere ad indicandam impudentiam — cf. e. g. Cic. Pis. 12. Calvus apud Quint. IX 2, 25. Hor. c. II 5, 16 — adiectivum *urbanus* autem iudicavit morem urbanum notare rustico pudori contrarium: „Eine freche Stirn von der Art, wie sie nur ein Städter, kein *rusticus* zu haben pflegt. *Urbanus* für sich allein kann nicht ‚dreist' heißen." Heinze ad locum sic interpretatus est verba *urbanae frontis praemia:* „die edle Dreistigkeit, mit der der Großstädter Dinge tut und Zumutungen an andere stellt, über die der *pudor subrusticus* (Cic. fam. V 12, 1. Sen. ben. II 3, 2. Ov. Her. 19, 59) erröten würde: durch den Gedanken an dies sein Gegenteil und durch die Zusammenstellung mit *frons* erhält hier *urbanus* eine von der üblichen lobenden Bedeutung sich weit entfernende neue." Haec igitur vis, etsi vituperationem quandam continet, tamen non a locali significatione discedit, quod etiam in locis ex Plauto et Cicerone allatis observatum est. Altero loco, quo *urbanus* idem valere atque *impudens* et *audax* plerumque iudicatur (cf. Georges et cetera Lexica), localem vim exstare ex contextu apparet (Cic. prov. cons. 8): *Nihil de hac eius urbana, quam ille praesens in mentibus vestris oculisque defixit, audacia loquor; nihil de superbia . . .: de provincia quod agitur, id disputo.* Apparet, cum de rebus in provincia actis solum referre, cetera praeterire Cicero sibi proponat, vocem *urbanus* nihil nisi locum indicare, quo audacia illius furebat; spectat non ad urbem in universum sed ad ipsam Romam cui provincia opponitur, quod ex verbis quoque antecedentibus cognosci potest: 4 *Omnia domestica ac urbana omitto, quae tanta sunt ut nunquam Hannibal h u i c u r b i tantum mali optarit quantum illi effecerint. Ad ipsas venio provincias . . . .*[1])

Vox *urbanus* ergo, si opponuntur urbani mores priscae vel rusticae integritati et innocentiae, non laudi sed vituperationi potius est, tamen retenta urbis et urbani moris notione non per se valet ad impudentiam vel calliditatem indicandam. Solum illa vocis *urbanus* vis, qua ipsi urbani suam eruditionem multiplicem et habitum omnibus in rebus expolitum significant, transfertur a genuino usu ad harum rerum summam declarandam, ad illa autem vitia, quae apud urbanos reprehendit rusticus, proprie denotanda verbum non defertur.

---

[1]) Hic usus, secundum quem non modo res, quae semper in urbe id est Romae sunt, sed etiam quae casu quodam aliquo tempore in urbe inveniuntur urbanae vocantur, aliis quoque locis occurrit: Verr. II 19 *Videte satisne paratus ex illo omine urbano ad everrendam provinciam venerit,* ubi illud omen intelligendae sunt Verris quaestura et praetura (cf. II 18). Phil. XIV 7 *urbanarum maledicta litium.* Cat. II 6 *quis sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcerit.* Flacc. 5 (frg. Mediol.) *cum domesticas labes, cum urbanam infamiam. . . .*

IV. De urbanitate facetiarum universa significatione.

In usu cotidiano *urbanitas* usurpatur inter ea vocabula quae iocum significant, quod ex suae aetatis consuetudine testatur Quintilianus (VI 3, 17): *Pluribus autem nominibus in eadem re* (scil. risu movendo) *vulgo utimur: . . . nam et urbanitas dicitur . . .* Idem invenitur usus apud Ciceronem imprimis in rhetoricis scriptis. Nam quamquam *urbanitas* non raro propriam quandam iocandi virtutem significat, sive laudatur acumen facetiarum sive ioci moderatio et clementia, quae parcit adversario, tamen saepe sine propria notione ad ridiculum spectat eodem modo atque *facetiae*, *lepos*, *festivitas*, alia, quod eo minus mirum est, quia sine illis virtutibus neque in eruditorum sermone neque in publica oratione locum habent iocus et facetiae. Propria quadam elegantia et humanitate praeditam esse urbanitatem discimus eis tantum locis, ubi aspero et illiberali iocandi generi opponuntur eae laudes, quae solae homine polito dignae esse putantur, et praecepta dantur de ingenuo iocandi genere. Plerumque autem *urbanitas* nulla propria nota idem valet atque cetera ioci synonyma.

Hic usus apud Ciceronem imprimis in risus tractatione rhetorica invenitur quae exstat in altero de oratore libro (216—289). Usurpatur verbum *urbanitas* in oratoris muneribus breviter universe describendis (I 159): *Libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tamquam sale perspergatur omnis oratio.* Quatuor hoc loco leguntur vocabula quae iocum significant; vocis *urbanitas* vis intellegitur ex eo quod in genera dividitur, quae genera ridiculi in altero libro copiose tractantur (II 248 ss.): *urbanitas* ergo hoc loco ad ridiculum universe indicandum usurpatur. Eandem habet vim in ipsa ridiculi tractatione: II 231 *Tum Sulpicius: quid igitur? patiemurne, inquit, Caesarem, qui quamquam Crasso facetias concedit tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare nobis totum genus hoc iocandi quale sit et unde ducatur, praesertim cum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fateatur?* Vocibus *facetiae iocari sal urbanitas*, quae omnes iocum significant, de industria Cicero variat dissertationem, ut remisso certorum vocabulorum usu artis scriptoris et rhetoris speciem fugiat; certarum enim vocum usus contrarius est sermoni et colloquendi rationi quam imitatur Cicero, praesertim cum in ioco tractando illam quae in Graecis vituperatur insulsitatem (217) secum ferat. Hoc consilio ab initio ridiculi tractationis varia vocabula quae iocum significant ex usu cotidiano Cicero adhibet, 216 s.: *iocus et facetiae, sal, non inurbanus, ridicula et salsa.* Qua ratione singularum vocum propriae notiones inter se compensantur et ducuntur ad unam quandam vim quae iocum in universum indicat. Quantum inter se discrepent illae voces Quintilianus demonstrat, qui

singula ridiculi nomina vulgo usurpata ad genuinum refert sensum (VI 3, 17 ss.). Cicero in omnibus ioci vocabulis inter se assimulandis haud raro bina coniungit, ut ridiculi in universum notatio appareat: *Iocus et facetiae* 216. *ridicula et salsa* 217. *lepos et facetiae* 219. 225. *faceta et urbana, lepos et festivitas* 227. *facetus atque salsus* 228. *venustus et urbanus* 228. *sal et urbanitas* 231. *iocus risusque* 236.[1]) *Urbanitas* ergo loco supra allato (231), quoniam cum verbo *sal* coniungitur, iocum universe indicat. Idem valet adiectivum *faceta et urbana* 227 et sublata negatione *non inurbanus* 217, ubi ad hominem ridiculum pertinet. Haec vocis *urbanitas* vis, cum ex usu rhetorico satis appareat, aliis quoque locis, ubi *urbanitas* solum occurrit sine ceteris ridiculi vocabulis, intellegitur. Sic in Bruto laudatur inter Crassi oratorias virtutes (143): *Erat summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos.* Jahn iudicavit comparato de or. II 219, ubi sal dividitur in perpetuam festivitatem et singula dicta, urbanitatem intellegendam esse „*Humor*“, facetias „*Witz*“; sed voces quae hoc loco a Cicerone adhibentur non congruunt cum illa partitione; nam dicta brevia quae „*Witz*“ vocamus verbo *dicacitas* a Cicerone significantur utroque loco quo de salibus copiosius agitur (de or. II 218. Or. 87), *facetiae* autem in priore tractatione (de or. II 218) utrumque iocorum genus complectuntur, posteriore loco (Or. 87) ad perpetuum iocum qui totam imbuit orationem restringuntur. Cicero hoc loco partitionem illam non in animo habet, sed Crassi risus movendi facultatem more suo variis nominibus circumscribit, quod confirmat propria oratorii leporis laus; nam scurrae et oratoris differentia pertinet ad dicacitatem imprimis et singula dicta (cf. de or. II 244 ss.), non ad perpetuas facetias, unde concludendum est universum iocum utrumque genus continentem a Cicerone vocibus *facetiae* et *urbanitas* coniunctis notari. Eundem habet sensum *urbanitas* Brut. 167 in Titii descriptione: *Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur;* comparandum est Or. 89, ubi illa Atticorum virtus saepe laudata, quae in Bruto *urbanitas* vocatur, *sal et facetiae* nominatur. Rhetoricam materiam porro continet epistula ad Volumnium scripta (fam. VII 32), in qua Cicero suam risus movendi facultatem vocat urbanitatem: *urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus* (VII 32, 2). In initio epistulae scribit *Quibus in litteris omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur.* Habet verbum eandem vim universam atque locis adhuc

---

[1]) Eadem ratione Cicero Graeca verba in Latinam consuetudinem inducit: *Ironia dissimulantiaque* de or. II 270. Similiter inv. I 34 *silvam atque materiam universam* Graecae vocis ὕλη interpretatio Latina inducitur.

allatis; nam quae de facetiarum virtutibus profert Cicero hoc loco ex rhetoricis praeceptis sumpta esse ipse testatur, cum ad alterum de oratore librum Volumnium reicit. Tamen ex variis ioci nominibus consulto verbum *urbanitas* Cicero eligit, quia maxime inest proprius urbis Romae sapor in sua iocandi ratione, cuius se heredem et praeconem alias praedicat (fam. VII 31, 2; v. i. p. 43). Locis quoque nonnullis qui cum rhetorico usu non cohaerent *urbanitas* facetias indicat: Fin. II 103 *Quos quidem dies quemadmodum agatis et in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico.* Adiectivum *urbanus* cum variis iocandi vocabulis occurrit de dom. 92: *Et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum, me dicere solere esse me Iovem, eundemque dictitare Minervam esse sororem meam* (v. s. p. 31). *Urbanus* et *venustus* imprimis ad ioci elegantiam spectant, praeterea ad comitatem; opponuntur enim asperitati et furori Clodii in antecedente orationis parte vituperatis. Porro Att. XII 6, 4 ad facetias spectat *urbanus: Caesar autem mihi inridere visus est „quaeso" illud tuum, quod erat et εὐπινές et urbanum.* Cum verba εὐπινές et *urbanus* duplici *et* coniungantur, necesse est proprium sensum in utraque voce inesse. Vocabulum εὐπινής, quod etiam Att. XV 7, 2 legitur, per imaginem ex palaestra sumptam hominem exercitatum et versutum significat, quare ad elegantiam dicti referendum esse videtur, fortasse etiam ad celeritatem respondendi; *urbanus* ad proprium dicti salem spectat certe non communem, sed elegantem et acutum.[1]) Ad salem indicandum usurpatur iunctura *non inurbanus* nat. deor. III 50, ubi ad dictum quoddam facetum pertinet, et de or. II 217, qui locus supra allatus est (p. 37), ubi eadem vi communi usurpatur atque ceterae iocandi voces quae illo loco occurrunt. Hanc communem facetiarum significationem *urbanus* habere videtur etiam Or. 90, quo loco de Demosthenis iocandi facultate Cicero iudicat: *Demosthenes minus habetur* (scil. facetus): *quo quidem mihi nihil videtur urbanius, sed non tam dicax fuit quam facetus; est autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis.* In initio illius capitis aliter atque in altero de oratore libro Cicero communem notionem *sales* (quas *facetias* vocat de or. II 217) dividit in *facetias (cavillationem* de or. l. c.), id est perpetuam festivitatem, et *dicacitatem* (sic etiam de or. l. c.) quae in singulis dictis posita est. Eodem autem capite in singulis oratoribus enumerandis voce *facetus* utitur ad iocum universe significandum, in Demosthenis descriptione rursus discernit inter dicacitatem et facetias

[1]) Haec verbi εὐπινῆς interpretatio quadrat ad usum Att. XV 17, 2: *litterae sic et φιλοστόργως et εὐπινῶς scriptae.* Si autem apud Ciceronem valet idem atque apud Dionysium Halicarnassensem, ubi ex rebus aerugine obductis transfertur ad antiquitatem impexam orationis, Ciceronis verba sic intelligenda sunt, ut in Attici dicto laudentur et prisca sinceritas et recens urbanitas.

et utrumque vocabulum ad certam regionem restringit. Unde concludere licet verbo *urbanus* communem illam virtutem indicari, quae vocibus *facetus* et *dicax* in duas partes seiungitur, et Ciceronem verbis *quo quidem mihi nihil videtur urbanius* repugnare eorum opinioni, qui Demosthenem salsum esse negant.[1]) Licet conicere Ciceronem hoc loco Graecis vocabulis Latina accommodare; nam Demosthenis iocandi facultas a pluribus auctoribus cum ceterorum oratorum facetiis comparatur, cf. De sublimitate 34 et praecipue Dion. Hal. Dem. 54, qui utitur in hoc comparatione vocabulis *εὐτραπελία, χάρις, ἀστεϊσμός*.[2]) Verisimile est Ciceronem cum urbanum nominat Demosthenem *ἀστεϊσμόν* in animo habuisse, quem etiam Dionysium Demostheni concedere ex textu valde corrupto intellegitur. Etiam in libro de sublimitate inscripto illa iocandi facultas, qua carere Demosthenem iudicat auctor, verbis *γελοῖος* et *ἀστεῖος* describitur, quibus respondent Latina vocabula *ridiculus* et *urbanus*.

Hanc urbanitatem quae facetias significat definit Cicero in initio orationis pro Caelio habitae (6). Incipit a differentia quae est inter accusationem et maledictionem, quam postquam exposuit pergit his verbis: *Maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam. Quae si petulantius iactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur.* Haec partitio respondet Graecorum inter *λοιδορίαν* et *σκῶμμα* differentiae quae occurrit apud auctores qui de facetiis in eruditorum circulis et conviviis adhibendis praecepta dant: Plutarchus quaest. conv. II 1, qui peripateticam doctrinam sequitur — 631e Theophrasti *σκώμματος* definitio laudatur qua *σκῶμμα* dicitur esse *ὀνειδισμός τῆς ἁμαρτίας παρεσχηματισμένος* — et Macrobius Sat. VII 3, ubi Plutarchi librum sequitur,[3]) qui *λοιδορίαν* docet esse *directam contumeliam*, quod Cicero *convicium* vocat, *σκῶμμα* contra contumeliam *fraude vel urbanitate* tectam. Cicero hac definitione non solum statum iuridicialem exponere in animo habet — seiungit a verae accusationis tractatione refutationem privatorum nonnullorum criminum, quae extra rem sunt — sed certo consilio illam maledicendi

---

[1]) Paulo aliter dicit Quint. VI 3, 21 *Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Urbanus* hoc loco ad eam facultatem pertinet, quam Cicero verbo *facetus* significat. Cicero ipse ad colorem illum indicandum variis vocabulis utitur, quod eo facilius potest, quia usus verborum *urbanus, facetus, lepidus*, aliorum non certis artis finibus circumscribitur.

[2]) Geigenmüller, Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae 51, 2 censuit Dionysium hoc loco Demostheni concedere *ἀστεϊσμούς*, quos congruere cum perpetua festivitate iudicavit, *εὐτραπελίαν* abiudicare, quam dicacitatem intellegi voluit. Sed voces *ἀστεϊσμός εὐτραπελία χάρις*, quae apud Demetrium idem valent, hoc loco ad diversas res spectare verisimile non est.

[3]) Cf. Wissowa, Quaestiones de Macrobii Saturnalium fontibus. Diss. Vratisl. 1880, 3 ss.

rationem, quae sale et facetiis obruit adversarium, nomine *urbanitas* inducit. In hac ipsa enim oratione sua ipsius urbane maledicendi facultate utitur in Clodiam et fratrem eius sibi inimicissimum, quem urbanitatis amatorem fuisse cum ex aliis locis tum ex hac oratione intellegitur (v. s. p. 30 s.). Clodius ergo suo in regno a Cicerone vincitur, qui acute in initio orationis urbanitatis virtute expurgat eam rationem qua modo invehit in adversarium.

Locis adhuc allatis *urbanitas* interdum paulum in aliquam propriam significationem versa universe indicat facetias, qui usus fortasse ex communi consuetudine sumptus usu rhetorico confirmatur. Retinetur post Ciceronis tempus in sermone cotidiano, quod testatur Quintilianus VI 3, 17, non minus quam in arte rhetorica, nam in risus tractatione (VI 3) Quintilianus ad iocum indicandum praecipue voce *urbanitas* utitur. Vituperat Domitium Marsum quod in urbanis dictis etiam seria habet (VI 3, 102 ss.), quamquam ubi ipse urbanitatem definit (VI 3, 17. 107) non facetiarum notationem sed illum describit totius orationis colorem, quem Cicero in Bruto (170—72) ad Graecum ἀττικισμόν accommodatum urbanitatem vocat (v. i. p. 51).

Verbum *urbanitas*, cum inter artis rhetoricae vocabula occurrat in eo capite, quo Graecorum auctorum περὶ τοῦ γελοίου libros Cicero sequitur (cf. Arndt, De ridiculi doctrina rhetorica. Diss. Lips. 1904. p. 26), ad Graecam quandam vocem quadrare verisimile est. Verbi derivatio congruit cum vocabulo ἀστεϊσμός, quod in Graecorum libris rhetoricis ad iocum universe declarandum usurpatur: Apud Demetrium de eloc. 128 indicat χάριτας ridiculas, apud Dionysium Halicarnassensem (Dem. 54) ἀστεϊσμοί idem valent atque εὐτραπελία et χάρις, in libello quod est de sublimitate (34) ἀστεϊσμοί universe iocum significant, qui in varia genera dividitur: μυκτὴρ εἰρωνεία σκῶμμα διασυρμός, praeterea Demosthenes γελοῖος καὶ ἀστεῖος vocatur, quae vocabula cum ad γέλωτα κινεῖν spectent facetias declarant. Si recte conicimus Ciceronem in Demosthenis sale diiudicando (Or. 90) verbum ἀστεῖος voce *urbanus* interpretari, concludere licet eum etiam substantivo *urbanitas* vocem ἀστεϊσμός vertere, quae post Aristotelem in Graeca arte occurrit; ad ea contra elocutionis ornamenta, quae ἀστεῖα vocantur ab Anaximene et Aristotele, *urbanus* apud Ciceronem non pertinet.[1])

---

[1]) De vocis ἀστεῖος in Graeca arte rhetorica usu cf. excursum I.

V. De urbanitate vernaculo sale romano.

Cum certo usu rhetorico vox *urbanitas* ad cetera iocandi vocabula accommodetur, tamen haud raro significat iocum aliquo modo distinctum, sive proprio sale sive venustate quadam et lepore excellit. Haec significatio observata est locis nonnullis supra allatis, velut Att. XII 6, 4. dom. 92, quam iocandi suavitatem etiam *facetiae lepos festivitas* saepe denotant. Intellegitur haec vis eis praecipue locis, ubi *urbanus* ad iocum artius describendum usurpatur. Cicero in perfecti oratoris muneribus enumerandis (de or. I 17) de risu movendo his agit verbis: *Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi subtili venustate atque urbanitate coniuncta.* Apparet venustatem et urbanitatem virtutes esse iocationis, quae verbis *lepos, facetiae, celeritas et brevitas et respondendi et lacessendi* indicatur; *urbanitas* quoniam cum venustate coniungitur ad elegantiam et suavitatem iocorum pertinet.[1])

Praeter hanc iucunditatis laudem *urbanus* etiam proprium salis acumen indicat, quod apud Romae urbis incolas imprimis invenitur: scribit de Romanorum iocis Cicero ad Paetum anno 46 (fam. IX 15, 2): *Accedunt non Attici, sed salsiores quam illi Atticorum Romani veteres atque urbani sales. Ego autem — existimes licet quidlibet — mirifice capior facetiis, maxime nostratibus, praesertim cum eas videam primum oblitas Latio, tum cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam bracatis et transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam Crassos quoque et Laelios videre videor. Moriar si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere.*[2]) Verbum *urbanus* non ad iocandi moderationem et humanitatem spectare cum Attici salis comparatio tum huius leporis principes a Cicerone enumerati docent; Granium enim scurrae more nunquam dicacitatem suam coërcuisse Cicero ipse tradit (de or. II 244), quod contrarium est illi moderationi et comitati quae *urbanitas* vocatur (v. i. p. 46 ss.). Apparet ex verbo *salsiores*, praeterea ex eo, quod facetiae illae ab alienis

---

[1]) Eandem venustatis et leporis vim habet *urbanus* Hor. a. p. 273

si modo ego et vos
scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Cum *dictum* per se habeat ridiculi vim, *lepidus* et *urbanus* virtutem eius significant.

[2]) Offenderunt viri docti in ablativo *Latio*, sed non licet cum Hirschfeldtio *Latio* corrigere in *luto* vel cum Madvigio scribere *Lati* et ante *bracatis* addere *in;* nam tres corruptionis gradus enumerat Cicero Latinis peregrinis barbaris influentibus, quod ex partitione *primum, tum, nunc vero* intellegitur; praeterea in ipsa urbe, non extra Romam corrumpi vernaculum salem Cicero aegre fert.

corrumpi dicuntur, ad proprium facetiarum salem vocem *urbanus* spectare in hac descriptione, qui *urbanus* ea de causa nominatur, quod homines Romae educati ante omnes proprio quodam lepore excellunt; agit Cicero de eorum *antiqua et vernacula festivitate* et de *facetiis nostratibus* in his litteris, de *sapore vernaculo* Granii dictorum (Brut. 172), de Curii *αὐτόχθονι urbanitate* (Att. VII 2, 3). Qui proprius Romanorum sapor in Paeti epistola non tam Atticis opponitur quam Latinis peregrinis barbaris: quod illustratur Brut. 172, ubi Granius ille Romae natus urbanitate et sapore vernaculo hominem Placentinum vicisse in dictis eiciendis narratur. Illos *veteres et urbanos sales* aliis locis Cicero vocat *veterem urbanitatem*, quam exarescere paulatim posterioribus vitae suae annis saepius queritur. Intellegimus ex epistula ad Paetum missa hanc urbanitatem esse festivitatis proprium acumen et salem, quo homines Roma oriundi superant omnes sive Latinos sive Italos sive barbaros, influentibus autem peregrinis hanc urbanitatem, quae Scipionis aetate floret, corrumpi et obrui. Primum veteris urbanitatis Cicero mentionem facit anno 55 in epistula quadam ad Quintum fratrem missa (II 8, 2): *Hunc* (Marium sc.) *ut dico certe sustulissem, ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis et humanissimi sermonis attingerem.* Cum sermonem humanissimum Cicero attingat, verisimile est hoc loco eum in animo habere ironiam, quod est sermonis elegantissimum condimentum sale et lepore praeditum (cf. de or. II 269 s., v. i. p. 47). Anno 46 epistula ad Paetum scripta est, in qua primum dolet Cicero quod *veteres atque urbani sales* peregrinitate opprimantur, et Paetum aequalem suum inter paucos habet qui cum veteris temporis praeclarissimis viris comparari possunt. Aliam sui temporis facetorum successionem fingit Cicero anno 44 in litteris ad Curium missis (fam. VII 31, 2) *Vides enim exaruisse iam veterem urbanitatem, ut Pomponius noster suo iure possit dicere*

„*Nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam*".

Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quaeso, ne tamen semen urbanitatis una cum republica intereat. Hac quoque in epistula de urbanitate corrupta queritur Cicero eosque enumerat, qui hanc hereditatem tradunt; praeterea versu laudato, quo cum Pomponii Attici nomine ludit, [1]) cum Atticis facetiis

[1]) Pomponii versum ita interpretatus est Norden, De Stilone XI 4, ut Atellanae poetam se defendere adversus calumnias togatorum scriptorum diceret. Quem versum in T. Pomponium Atticum facete vertere Cicero mihi videtur, ita ut *Pomponius noster* Atticus intelligendus sit (ita etiam Orelli interpretatus est). Poeta enim L. Pomponius a Cicerone hoc tantum loco commemoratur, quam ad rem male quadrat illud *noster* et praecipue urbanitatis successio quam fingit Cicero Curii, Pomponii, Ciceronis. Atticum contra Curio amicissimum esse ex epistula antecedente ad Curium (VII 30, 2) cognoscitur, quod confirmat frequens Curii mentio in epistulis ad Atticum facta (cf. quae de urbanitate Curii ad Atticum Cicero scribit VII 2, 3).

comparat Romanum leporem.[1]) De Curio iam anno 50, cum in usum eius et amicitiam venit, ad Atticum scripserat (Att. VII 2, 3) *et mehercule est quam facile diligas αὐτόχθων in homine urbanitas*, quae elucet sane ex epistula eius ad Ciceronem missa (fam. VII 29).

Videmus Ciceronem verbo *urbanitas* appellare facetiarum egregium salem, qui hominibus Romae educatis proprius est. Floret haec urbanitas incorrupta et integra Scipionis et Crassi aetate, corrumpitur et obruitur a Latinis primum, tum a peregrinis, quin etiam a barbaris nationibus, qui omnes in urbem influunt, ita ut cum urbe ipsa etiam virtus illa iocandi infuscetur. Quod in epistula quoque ad Volumnium scripta, quem ad urbanitatem defendendam hortatur, aegre fert (fam. VII 32, 2, v. s. p. 38): *Sed quoniam tanta faex est in urbe, ut nihil tam sit ἀκύθηρον quod non alicui venustum esse videatur.* Congruit haec facetiarum corruptarum ratio cum ea sententia quam de loquendi corruptione profert Cicero in Bruto (258); Laelianae enim aetatis innocentiam corruptam esse peregrinis censet: *Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit et Romae et in Graecia. Confluxerunt enim et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis.*[2]) Apparet in Ciceronis ratione arte cohaerere iocandi facultatem cum bene loquendo et utrumque urbi Romae proprium esse, quod maxime ex urbanitatis descriptione in Bruto prolata (170—172) intellegitur, de qua infra agendum est. Porro ut Romanae locutionis corruptio cum Graeca (Brut. 258) et urbanae pronuntiationis suavitas cum Atheniensibus comparatur (de or. III 42 ss.), ita lepos proprius quo urbani excellunt cum Attico sale confertur. Quod facetiarum genus ipse approbaverit, intellegimus ex Ciceronis de illis veteris leporis principibus iudicio aliis in scriptis prolato. Amat Granii[3]) dicacitatem, quod proprio et vernaculo sale condita est (Brut. 172), nonnullaque eius dicta in altero de oratore libro affert (de or. II 253. 281), quae asperiora interdum fuisse iudicat (Planc. 33); tamen in scurris eum habet qui totum diem sine causa risum movere student, quod oratori certe utilitatis causa risum adhibenti non convenit (de or. II 244—247). Lucilii[4]) carmina admiratum esse

---

[1]) Laudatur Atticorum sal de or. II 217. Or. 89 Brut. 167.

[2]) De grammaticorum Romanorum doctrina, qui linguam Latinam mixtam esse ex barbaris linguis censebant Graecam rationem secuti, egit Norden, De Stilone VIII s. Demonstravit primum hanc rationem inveniri in Platonis Cratylo et in libro, qui est de republica Atheniensium, inde in Stoicam rationem recipi, denique in Romanorum artem grammaticam. Qua via linguae corruptio paulatim progressa sit, imprimis Cicero docet, praeterea Dionysius Halicarnassensis Ant. I 89 s.

[3]) De Granio v. Ribbeck, Agroikos 56, 3. Marx, Lucil. I XLIX. II 153 s. Grant, The ancient Theories of the Laughable (cf. p. 47,1) 93.

[4]) Ad Ciceronis de Lucilio iudicium cf. Kubik. De M. Tulli Ciceronis poetarum Latinorum studiis 338.

et valde dilexisse Ciceronem ex eo iam apparet, quod versus eius saepe laudat. Bis Lucilium vocat *hominem et doctum et perurbanum* (de or. I 72. II 25), quibus verbis eruditionem et scientiam poetae praedicat (v. s. p. 28), et facetias eius laudat: *In quo lepide . . . . lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius* (de or. III 171); *quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius* . . . (fin. I 9). Nihil dicit Cicero de Lucilii acerbitate, quam praeter mirum salem in facetiis eius inesse iudicant posteri (Quint. X 1, 94. Iuven. I 165. cf. Hor. serm. I 10, 3. II 1, 28 ss. 62 ss.) nec de obscenitate verborum quam interdum non fugit (Trebonius ad Cic. fam. XII 16, 3. Porphyr. in Hor. epist. I 19, 34). Crassi venustas et lepos nunquam scurriles laudantur et in Bruto (143) et saepe in risus tractatione (de or. II 228. 244 alibi).[1]) In Laelio fuisse multam hilaritatem Cicero in primo de officiis libro tradit (108).[2]) Ex verae urbanitatis exemplis quae in epistula ad Curium missa enumerantur Cicero ipse novissimus urbanitatis tutor et defensor suam urbanitatem circumscribit in litteris ad Volumnium scriptis (fam. VII 32). Agnoscit ἔντεχνα tantum et arguta dicta, quae congruant cum ridiculi doctrina a se ipso prolata. Aequales quidem et posteri iudicant nimis eum iocandi cupidini indulgere: Vatinius eum *scurram consularem* vocat (Macr. Sat. II 1. 12) et Quintilianus plerosque censere testatur Ciceroni modum in salibus eiciendis defuisse, ipse miram eius urbanitatem admiratur (VI 3, 2). Quam ut tollat reprehensionem Cicero Romanorum (de or. II 290) et Graecorum (Or. 89) auctoritate confirmat et defendit risus movendi studium et Crasso summas tribuit laudes, quod suavitatem, in qua risus et iocus sunt, non minus quam gravitatem adhibeat (de or. II 228. Brut. 143). Tamen ex aequalium iudicio licet suspicari eum, quamquam iocorum moderationem magni aestimat et scurrilem omni tempore et loco iocandi morem reprehendit, ipsum admirationis gratia dicacitatem suam interdum parum coercuisse, qua via in levitatis, quin etiam scurrilitatis suspicionem venit.[3]) Satis autem apparet quanti ipse hanc iocandi facultatem aestimaverit, cum veteris cuiusdam laudis magno periculo oppressae defensorem se putet. Dubitavit M. Grant (The ancient of the Langhable 119 ss, cf. adn. 51), num serio de urbanitate exarescente doleret Cicero, id quod Lutsch ex temporis angustiis

---

[1]) Granio et Lucilio, qui asperioribus salibus utuntur, adnectit Cicero de industria Crassum et Laelium lenioris ioci imagines, quo magis Paeti lepos laudetur: ex verbis *vere ut dicam* in horum exemplo addendo intellegitur non exspectari a Paeto hanc laudem.

[2]) Nec in Bruto nec in libris de oratore scriptis Laelii facetiae commemorantur; de or. II 286 dictum quoddam eius laudatur. II 290, ubi praeclarissimi viri qui iocum adhibuerunt enumerantur, Laelius omittitur.

[3]) Leve esse risum movere dicitur de or. II 290.

et rei publicae interitu comparato (fam. VII 31) conclusit (p. 88). Sed praeter luctum de rei publicae malis maximum, quem ex epistulis ad Curium annis 46—44 missis cognoscimus (fam. VII 28—31), cum eandem corruptionis paulatim auctae rationem et in facetiis et in locutione Cicero proferat eidemque aetati — Scipionis scilicet — integritatis sive iocandi sive loquendi laudem tribuat, dubium non est quin revera hanc quoque urbis veterem gloriam a rudi et hebeti multitudine affligi et occidi crediderit; pauci sunt qui ingenui urbis alumni illam veteris temporis virtutem integram servaverint. Iocose illas successiones fingit imprimis Curii Attici Ciceronis; ex amicorum eius nonnullorum epistulis genuina elucet urbanitas, velut Caelii (fam. VIII) et Cassii (fam. XV, 19); tamen paucos hos suo tempore relictos esse qui illam virtutem olim omnibus placitam aestiment Cicero vehementer dolet.

Apparet hanc urbanitatis notionem non a quavis urbe sed ab urbe quae Roma intellegitur derivari. Cum sero tantum (ab anno 55) et in familiari epistularum consuetudine occurrat, conicere licet eam ex communi huius temporis usu, qui rusticis opponit urbanos, deduci a Cicerone ad unius urbis Romae peculiarem possessionem. Congruit enim hic usus cum verbi *urbanitas* vi in Bruto explicata, quam illo libro primum induci ex definitione eius (170—172) suspicari potest (v. i. p. 51 ss.).

VI. De urbanitate facetiarum moderatione.

Vidimus vocem *urbanitas* ubi ad facetias pertinet usurpari aut ad iocum universe indicandum, quae vis constituitur rhetorico praecipue usu, aut ad eximium laudandum salem, quo dictum aliquod excellit; restat ille sensus quo temperantia facetiarum intellegitur temerariae petulantiae contraria. Cohaeret haec significatio cum ea urbanitatis vi quae clementiam et humanitatem se gerendi valet; tamen cum inter facetiarum proprias virtutes recepta sit, una cum eis significationibus quae ad iocum spectant eam tractare licet. Haec iocandi virtus locum genuinum habet in ethica disciplina, unde recipitur in sermonis praecepta et artem rhetoricam, cum facetiae non minus sermonibus quam orationibus accommodatae sint; [1])

[1]) De occasionibus, ubi sermones vigent et ioci, agit Cicero off. I 132: *Sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia.* Similia occurrunt in hominis urbani definitione apud Domitium Marsum (Quint. VI 3, 105, v. s. p. 00). Cf. etiam Demetr. de eloc. 170. Plut. qu. conv. II 1. Macrob. Sat. VII 3, 3, qui conviviis accommodatas esse facetias docent.

praeterea locum habet in eis poeticis generibus, quibus proprium est ridiculum, quorum apud Romanos languente comoedia principem locum satura tenet. Jocandi virtutem et vitia [1]) in ethica disciplina primus constituit Aristoteles (E. N. IV 1127 b 33 ss. cf. E. E. 1234 a 4 ss.): *εὐτραπελίας* virtuti opponit *βωμολοχίαν* quae nimis et *ἀγροικίαν* quae parum utitur facetiis; posteri alia quoque nomina adhibent: Plutarchus in facetiis tractandis virtutem verbo *χάρις* significat (qu. conv. II 1, cf. Dion. Hal. Dem. 54 ... *εὐτραπελίας, ἣν οἱ πολλοὶ καλοῦσι χάριν*). Apud Romanos usurpatur *urbanus* inter ea vocabula, quae ad salis temperantiam spectant; tamen in certa artis vocabula sero tantum recipitur: Apud Macrobium demum, qui copiosius agit de ioco coetibus eruditorum accommodato, *urbanitas*, quamquam etiam ad iocum universe indicandum usurpatur (Sat. VII 3, 12), praecipue facetiarum moderationem significat, cui opponitur *amaritudo* (VII 3, 2. 3. 11).

Cicero utitur verbo *urbanus* in facetiis breviter tractandis secundum Panaetii doctrinam (off. I 104): *Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Urbanus* ergo ex compluribus unam facetiarum laudem indicat, cui proprie oppositum est fortasse vitium petulantiae secundum maledicendi partitionem supra allatam (Cael. 6, v. p. 40): *quae* (scil. contumelia) *si petulantius iactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur.* Licet ergo verbum *urbanus* referre ad irrisionem verbis et ratione moderatam, tamen cum hoc loco coniungatur cum variis ingenui ioci notationibus paulum inter se diversis, in universam magis vim defertur. Quae res facile explanatur: verisimile est Panaetium verbo *ἀστεῖος* usum esse ad laudandam facetiarum elegantiam eruditione expolitam, quod vocabulum suo iure Cicero interpretatur verbo *urbanus;* ita factum est ut Latinum verbum ex Graecae vocis vi non proprie distincta accipiat significationem satis universam. Idem observatur in ironia tractanda, quae inducitur his verbis (de or. II 269): *Urbana etiam dissimulatio est.* Cicero in hoc tractationis parte singula facetiarum genera ita connectit, ut, quotiens in enumeratione pergit, novum unumquodque adiectivo quodam breviter denotet: 268 *arguta etiam significatio est.* 269 *urbana etiam dissimilatio est.* 273 *acutum etiam illud est.* 277 *est bellum illud quoque.* 278 *salsa sunt etiam* ... (cf. 280 *movent etiam illa.* 281 *ridentur etiam discrepantia*). 283 *bellum etiam est cum* ... 287 *salsum est etiam* ... (similiter 257. 259. 266. 267). Quorum adiectivorum pleraque nihil nisi ridiculum universe indicant; cum *acutus* tamen et *argutus* non ad salem spectent sed ad animi vim, *bellus* ad concinnitatem

[1]) De virtutibus et vitiis iocandi egit Mary A. Grant, The ancient Theories of the Laughable (University of Wisconsin Studies Nr. 21. 1924).

et leporem, etiam vocem *urbanus* non in universum facetias sed iocum aliqua in re excellentem significare concludendum est. Quae laudes huic ironiae generi maxime conveniant, intellegitur ex eis quae de Socratis ironia dicuntur (270): *Sed uti ei ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans et cum gravitate salsum cumque oratoriis dictionibus tum urbanis sermonibus accommodatum.* Propter ergo virtutes *lepos* [1]) et *humanitas* referri potest etiam *urbanus* ad comitatem huius generis, tamen cum hic sensus proprie distinctus male quadret ad cetera vocabula, quibus genera ridiculi coniunguntur, coniciendum potius est apud Graecum auctorem quem sequitur Cicero in singulorum generum enumeratione ironiam verbo ἀστεῖος laudatam esse, quod propriam vim praeter elegantiam non habet eo tempore. Eodem modo intellegi potest *urbanus* in verbis supra allatis (271) *cum oratoriis dictionibus tum urbanis sermonibus maxime accommodatum:* sermonibus eruditorum ornatis expolitione et elegantia, quos verbo ἀστεῖος significavit Graecus auctor, aptum est hoc iocandi genus.[2]) Ironia ipsa apud Ciceronem non est veritatis deminutio, ut definit Aristoteles (E. N. IV 1127 a 13 ss.), sed circumscribitur *cum alia dicuntur ac sentias* et *cum toto genere orationis severe ludas* (269). In sermonem eruditum recepta est Socratis imprimis exemplo,[3]) qua in re Stoicorum auctoritas multum valuit, qui et in sermone et in publica oratione ironiam ducebant praecipuam virtutem tenuis dicendi generis, in quo ipsi praestiterunt.[4]) Qua de causa mirum non est eis Ciceronis locis, ubi de ironia agitur, verbum *urbanus*, quod optime quadrat ad huius generis comitatem et leporem, Graeco usu aliquantum in universum duci. Quam arte cohaereant urbanitas et ironia, ex eo apparet, quod Horatius urbano tribuit εἴρωνος Aristotelici propria (serm. I 10, 13 s.)

> *interdum urbani, parcentis viribus atque*
> *extenuantis eas consulto.*

---

[1]) Apparet vocem *lepos* similiter atque *urbanus* aut ad facetias universe significandas usurpari (de or. II 220. 230. 252 al.), aut ad ioci propriam virtutem indicandam, quod utrumque cum verbi χάρις usu in Graeca arte congruit.

[2]) Tamen verba etiam aliter intellegi possunt: si enim *oratoriae dictiones* nihil valent nisi *oratorum dictiones*, etiam *urbani sermones* stare possunt pro verbis *urbanorum sermones*, quales habentur in urbis coetibus, conviviis etc.

[3]) Laudatur ironia Socratis verbis *lepos et humanitas* (de or. II 270), *facetus et elegans* (Brut. 292); ipse Socrates propter ironiam vocatur *dulcis, facetus, festivi sermonis* (off. I 108).

[4]) Cf. Reitzenstein, Scipio Aemilianus und die stoische Rhetorik (Straßburger Festschrift zur 46. Philologenversammlung 1901) 149. Fiske, The plain style in the Scipionic circle (University of Wisconsin Studies Nr. 3, 1919), 87 ss. De verborum εἰρωνεία, εἴρων etc. usu egit Ribbeck, *Εἴρων* (Mus. Rh. 31, 1876, 381 ss.).

In rhetorica tractatione facetiarum apud Ciceronem iocandi moderatio proprio nomine non appellatur (de or. II 244 ss.); Ciceroni satis est distinguere oratorias facetias ab illo vitio nimis iocandi, quod scurrae — id est βωμολόχῳ Aristotelis — proprium est: *Temporis igitur ratio et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum distinguent oratorem a scurra; et quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine causa* (247). Etiam in Oratore (88), ubi facetiae oratoriae breviter tractantur, describuntur vitia magis quam virtutes. In cotidiano sermone illum habitum scurrilitati contrarium verbo *urbanus* significari ex Catulli quodam carmine discimus: Egnatius, qui renidet omnibus locis et temporibus, eis quoque, quibus decet hominem eruditum gravis vultus et alienae fortunae misericordia, his verbis reprehenditur (39, 7 s.)

hunc habet morbum
neque elegantem, ut arbitror, nec urbanum.

Cuius reprehensionis causa explicatur v. 16:

nam risu inepto res ineptior nullast.

Apparet habitum sic vituperatum cum scurrae more aliquo modo cohaerere, cui homo elegans et urbanus opponitur.

Cum autem facetiae ad adversarium frangendum valeant non in causis tantum, sed in omnibus controversiis, apud Ciceronem haec facetiarum virtus occurrit ad disputationes et colloquia delata. Hanc moderantiam Stoici praecipue prae se ferentes Epicureorum accusant asperitatem, qua eos irrident qui aliam sectam sequuntur; quas rationes inter se contrarias depingentem inducit Cicero Balbum Stoicorum sectatorem (nat. deor. II 74): *Ita salem istum, quo caret vestra natio* (scil. Epicurei), *in inridendis nobis nolitote consumere, et mehercule si me audiatis ne experiamini quidem; non decet, non datum est, non potestis. Nec vero hoc in te unum convenit moribus domesticis et nostrorum hominum urbanitate limatum, sed cum in reliquos vestros tum in eum maxime qui ista peperit, hominem sine arte et litteris, insultantem in omnes, sine acumine ullo sine auctoritate sine lepore.* Spectat haec reprehensio ad Epicureorum irrisionem in Stoicos versam I 18—45, quam ad illustrandam affert Balbus (II 73), quod Stoica providentia ab Epicureis appellata sit *anus fatidica* (I 18). Balbus Epicureos vetat aliorum sententiam irridere primum quod ignorent plane praeter suam omnes doctrinas, deinde quod haec ratio decori contrarium sit: *non decet.* Cui aspere et insulse irridendi viae opponitur urbanitas Romanorum, id est urbanorum morum summa instructa artium et litterarum scientia, qua expolitur et limatur salis asperitas. Pertinet ergo hoc loco *urbanitas* ad temperantiam et moderationem non totius disputationis, sed ipsius irrisionis, cum sali Epicureorum opponatur, quem revera insulsum esse

iudicant Stoici. Magni autem momenti est ad intellegendam urbanitatis apud Romanos aestimationem, quod Cicero hoc loco, ubi Graecum illius virtutis nomen vertit — cf. fam. III 7, 5 *urbanitas, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant* — hanc comitatem in Romanae gentis genuinis virtutibus habet. Cum fin. I 39 Cicero dicit *ut e patre audiebam, facete et urbane Stoicos inridente*, consulto illam affert irridendi virtutem cum acumine *(facete)* tum temperantia *(urbane)* praeditam, qua acerrimi Stoicorum adversarii carebant.

Mirum non est hanc irridendi virtutem, quam *urbanitas* significat, receptam esse in id litterarum genus, cui imprimis proprium est aliis illudere, saturam scilicet. In eo sermone quo Horatius de suo saturas scribendi modo rationem dat (I 4),[1]) virtutes et vitia huius generis nominantur: postulatur ut is qui scribit saturas *comis et urbanus liberque* sit (v. 90); qui caret his virtutibus nominatur *niger* (v. 85, cf. de hoc verbo Heinze ad l.),[2]) *lividus, mordax* (v. 93). Verbum *urbanus* ad ioci moderationem spectare et ex vocibus quibuscum coniungitur *comis* et *liber* et ex eis quibus opponitur apparet. Qua in virtute nominanda Horatius et ille quem fingit adversarius plane consentiunt; ea in re quam maxime differunt, qua via illam laudem assequatur poeta. Adversarius enim, quem iudicium aequalium proferentem inducit poeta, Horatii rationem nigram dicit, quod sine causa laedere studeat, absentes detrectet, amicum non defendat, risum captet (78 ss.); id quod Cicero in risu tractando scurrae proprium esse docuit (de or. II 244 ss.). Horatius contra mores quosdam adversario non suspectos, velut detrectandi in convivio hospites risus causa et maledicendi amico, dignos esse illo nomine *niger* contendit.[3]) Suam autem acriter invehendi in malos rationem non contrariam ducit illi quae poscitur comitati et urbanitati,[4]) quod et ex hac disputatione et ex iudicio quod profert de Lucilio saturae inventore cognoscitur (I 10, cf. II 1). Nam Lucilio, qui *sale multo urbem defricuit* (I 10, 3 s.) et ausus est detrahere pellem *nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis* (II 1, 64 s.) comitatis et urbanitatis laus conceditur I 10, 65: *fuerit Lucilius, inquam,*

---

[1]) V. quomodo hunc sermonem interpretati sint Hendrickson, Am. Journ. of Phil. 21 (1900) 121 ss. Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen, 23 ss. Heinze ad l.

[2]) In 5. editione commentarii Heinze versus 81—85 non adversario sed ipsi Horatio tribuit, cui distributioni obstat v. 91 *infesto nigris;* cf. Reitzenstein Herm. 59 (1924) 16, 3.

[3]) Non recte iudicavit Hendrickson (Class. Philol. 11, 1916, 249 ss.) convivae illius specie (serm. I 4, 86 ss.) Lucilium ab Horatio describi et I 10, 65 repugnare poetam eis, qui Lucilium vocant comem et urbanum; Lucilium urbanum fuisse concedit Horatius distinctis verbis, quod non discrepat a iudicio eius de Lucilio alias prolato; formam tantum parum expolitam reprehendit, quod iam I 4, 5 fecerat.

[4]) Substantivum propter rem metricam in hexametro non usurpari monuit Heerdegen 26.

comis et urbanus. Lucili ergo malos homines carpendi morem omnibus probatum, quem ipse sequitur Horatius, in urbanitatem praecipuam irridendi virtutem recipit. Quem ad saturae finem defendendum apud Lucilium Horatius antiquae Graecorum comoediae exemplum affert (Serm. I 4, 1 ss.),[1]) Graecorum aliquorum iudicium secutus, qui comoediae liberi ioci laudem tribuunt, quatenus de malis hominibus carpendis agitur. Quod scimus ex Ciceronis de facetiis disputatione secundun Panaetii doctrinam in primo de officiis libro exposita (I 104 s.), ubi ingenui et urbani ioci laus attribuitur imprimis antiquae comoediae, Plauto, Socraticis. De quo loco iudicavit Hirzel (Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften II 369 ss.) comoediam antiquam Atticorum et sermonem Socraticorum ironia imbutum a Panaetio in liberi ioci exemplis haberi, quos non propter facetias solum, sed etiam propter puram linguam magni aestimavisset; Plautum satis inconcinne a Cicerone Graecis additum esse. Panaetii autem iudicium a Cicerone obscurari monuit (373 s.), cum alterius iocandi generis utilitas, quam laudandam, alterius temeritas, quam vituperandam esse docuit Panaetius, apud Ciceronem parum perspiceretur. Nam si de facetiarum honestate agitur, Graeci antiquae comoediae et liberale et illiberale genus tribuunt (cf. Grant 45—47); Cicero ipse eam interdum vehementer vituperat (de rep. IV 11. cf. Tusc. IV 69).[2]) Quoniam in Ciceronis ingenui ioci descriptione ex Panaetio sumpta verbum *urbanus* exstat, verisimile est a Panaetio illud genus verbo *ἀστεῖος* notatum esse. Cum Stoica autem doctrina Horatio certamen fuisse in satura defendenda monuit Reitzenstein (Hellenistische Wundererzählungen 23 ss.), qui in tertio primi libri sermone contra Stoicum quendam pugnare Horatium ostendit. Si recte coniecit quartam sermonem cohaerere cum antecedente, ille poeta, quem verbis Stoici adversarii usus Horatius urbanum nominat, in Stoicorum de satura doctrina *ἀστεῖος* dicebatur, unde illa urbanitatis virtus in Romanorum saturam recepta est.

VII. De urbanitate Romanae locutionis proprio colore.

In libro Brutus inscripto nova verbi *urbanitas* vis invenitur. In Latinis oratoribus enumerandis et describendis Cicero iudicat ea re externos oratores differre ab urbanis, quod desit orationi eorum color urbanitatis (Brut. 170): *Tum Brutus: quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus?*

---

[1]) Primum fuisse Varronem, qui Lucilii saturam pendere ab antiqua comoedia contendit, iudicavit Leo Herm. 24 (1889) 69 ss.

[2]) Cf. ad Ciceronis de comoedia iudicio Fiske, The plain style in the Scipionic circle (University of Wisconsin Studies 3, 1919, 83 ss.).

Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? Consulto omittit Cicero certam huius coloris circumsciptionem (171): *Et Brutus, qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam, tantum esse quendam scio.* Ex eis quae sequuntur intellegitur, ad quas res haec *urbanitas* pertineat: agitur enim de verbis, vocis sono, sapore denique vernaculo in ridiculis proferendis. Qui sit revera ille color urbanitatis, ex comparatione cum Atticorum sono in fine proposito apparet: 172 *Sic, ut opinor, in nostris est quidam urbanorum sicut illic Atticorum sonus.* Ex eorum ergo numero qui Latine loquuntur urbani optimam locutionem prae se ferunt cum in cotidiana consuetudine (171 *nec hoc in oratoribus modo apparet*) tum in publice dicendi ratione. Quae Latinitatis virtus in urbanorum sermone apparens comparatur cum Atticorum sono, quem, quod quidem ad pronuntiandi modum attinet, Ἑλληνισμοῦ communis Graecorum sermonis optimam speciem praestare Cicero alio loco docet: de or. III 42, ubi de suavitate quae exit ex ore agitur: *quae quidem ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone huius est urbis maxime propria.*[1]) Verbum *urbanitas* a Cicerone ad Graecam vocem ἀττικισμός accommodari concludere licet ex verbis Quintiliani, qui in risus tractatione (VI 3) interpretatur vocabula vulgo pro facetiis usurpata. Describit urbanitatem in Domitii Marsi sententia refutanda his verbis (VI 3, 107): *Nam meo quidem iudicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu neque verbis neque ore gestuve possit deprendi, ut non tam sit in singulis dictis quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos ἀττικισμός ille reddens Athenarum proprium saporem* (cf. etiam VI 3, 17 *nam et urbanitas dicitur, qua quidem significari video sermonem praeferentem in verbis et sono et usu proprium quendam gustum urbis et sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem, denique cui contraria sit rusticitas*). Apparet Quintilianum eandem rem habere in animo, quam in Romanis Cicero urbanitatis colorem, in Graecis Atticorum sonum appellat. Si descriptionem eius accuratiorem conferimus cum Ciceronis verbis, urbanitatem colorem esse dicendi intellegitur, qui efficitur et sensu, ad quem Ciceronis facetiarum laus referenda est, et verbis, quae Cicero breviter attingit (171), et ore, quam Cicero vocem nominat, gestu demum, quem non commemorat Cicero, addit ut videtur Quintilianus, ne actionis praecepta praetereantur. Maximi autem momenti est hunc colorem ad Graecorum ἀττικισμόν referri, qua re bene et recte loquendi

[1]) Norden De Stilone XII monuit Romanorum puri sermonis studia non secerni posse a Graecorum studiis, quibus purum sermonem Atticum recuperare volebant. Cf. Kunstprosa I 180.

gloria, quem in Graecorum cum rhetorica tum grammatica arte sibi vindicavit *ἀττικισμός*, in Latino sermone ipsi urbi Romae tribuitur. Quaerimus quid sit hic *ἀττικισμός* vel *Atticorum sonus*,[1]) cum non ad contentionem de Attico et Asiano genere eum referendum esse ex eo appareat, quod ad locum et regionem adligatus est. Contrarium esse eum locutioni eorum, qui ex Asia orti sunt, discimus ex tertio de oratore libro (III 42), quamquam hoc loco de vocis tantum sono agitur — expressis verbis excludit Cicero verborum tractationem (III 42) — id est de una tantum parte illius coloris, qui sensum et verba non minus inficit. Cum hoc loco homines Asiatici, etiam si Athenis vitam agunt, cum Atheniensibus comparati pro peregrinis habeantur, apparet ex loco et regione nasci loquendi differentiam, non ex genere dicendi ab unoquoque prout libet electo.[2]) Eodem modo et in Bruti capite (172) et apud Quintilianum ad regionem spectat Atticus sonus; nam in Bruto fabella de Theophrasto tradita affertur atque urbis Romae incolis Galli et homo Placentinus opponuntur; Quintilianus Athenarum proprium saporem pro *ἀττικισμῷ* habet. Hanc doctrinam, quod congruit cum ea ratione, quae peregrinis affluentibus in aliquem locum corrumpi et alienis infuscari locutionem integram contendit (Brut. 258. Quint. I 1, 13, cf. Cic. fam. IX 15, 2), grammaticae rationi tribuendam esse verisimile est, quae cum recte loquendi exemplum quaereret ad expurgandum usum recentioris aetatis barbarie iam infuscatum ad veteris integrae locutionis regulam dictionem dirigebat. Cicero quamquam plerumque de Latina lingua agit, tamen Graecorum rationem respicit Brut. 258: *Confluxerunt enim et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis.*[3]) Pergit: *Quo magis expurgandus est sermo et adhibenda tamquam obrussa ratio quae mutari non potest.* Concludendum ergo est, postquam Graeci intellexerunt usum corruptum esse, a nonnullis analogiam adhibitam esse ad consuetudinem emendandam, ab aliis illam *ἀττικισμοῦ* notionem, priusquam ad dicendi quoddam genus designandum vindicata erat, ut unius regionis vetus consuetudo ceteris

---

[1]) Ipsum verbum *ἀττικισμός* Cicero ut ceteras Graecas voces in arte grammatica et rhetorica usurpatas (cf. Norden, Kunstprosa I 184 cum adn. 2) non adhibet hoc loco; legitur in epistula a. 54 scripta (Att. IV 19 [17], 1): *Num Vestorio dandi sunt dies et ille Latinus ἀττικισμός ex intervallo regustandus?* Ad idem spectare haec verba atque Bruti locum docet *ἀττικισμός* ad Latinam linguam delatus.

[2]) Cf. de hac differentia Wilamowitz, Asianismus und Atticismus (Herm. 35, 1900, 3).

[3]) Quae ratio congruit in universum cum sententia de Asiani generis origine a Santa fortasse prolata (cf. Wilamowitz Herm. 35, p. 3), quam Quintilianus tradit XII, 10, 16, ea tamen in re differt, quod ille in Asia linguam puram corrumpi conicit, Cicero influente peregrinitate Athenis ipsis.

imitandi et corrigendi facultatem daret. Scimus certamine de recte loquendo vel ἑλληνισμῷ exorto Ptolemaeum Pindariona ad Homeri exemplum locutionem quatenus corrupta putabatur accommodasse. Quis primus locutionem Atticorum nondum depravatam tamquam regulam adhibuerit incertum est; constat tantum Cratetem Mallotam et Aristophanem Byzantium Attico sermoni operam dedisse.[2] Quem ἀττικισμόν qui postea ad orationis ζῆλον detulerunt quamquam non neglegunt, tamen certioribus finibus circumscribunt, ea in re imprimis discrepantes quod e regionis vinculo ad elocutionis genus eum deferunt. Illum ἀττικισμόν, orationis virtutem, quem Cicero in animo habet in urbanitatis descriptione, consentaneum est omnibus oratoribus Atticis proprium esse, non illis modo quos Romanorum qui Atticum stilum se imitari praedicabant pro exemplis habebant. Quamquam igitur haec ἀττικισμοῦ notio, quam habent Cicero et Quintilianus locis supra allatis, ex arte grammatica orta est, ut videtur, tamen cum etiam sensum et facetiarum proprium saporem complectatur in rhetoricam artem recipi intellegitur. Continet enim omnia quae Cicero laudat in Atticis oratoribus ad refutandam eorum exilitatem qui solos Atticorum exemplum se sequi gloriabantur.[1] Cum praeterea Atticum salem laudare non desinat (de or. II 217. Brut. 167. Or. 89, cf. fam. VII 31, 2. IX 15, 2), porro sales Romanos peregrinis hominibus affluentibus corrumpi sibi persuasum habeat (fam. IX 15, 2), quod congruit cum linguae et oris corruptione (v. s. p. 44), coniciendum est haec quoque ex Graeca ratione fluxisse, quae ἀττικισμόν non grammaticam solum virtutem sed totius orationis colorem esse contendebat. Scimus hoc tempore Graecos Atticorum oratorum studiis incumbere, cum non multo post decem oratorum κανών constitutus sit. Quare suspicari licet Graecos Atticorum oratorum virtutes omnibus anteposuisse et verbo ἀττικισμός quasi originis nota totum colorem dicendi designavisse.

Similia studia Romae observantur: videmus anno fere 100 de recto sono vocis certare oratores, quorum nonnulli rusticos servare integram locutionem contendunt, alii Catulorum et aliarum nobilium familiarum loquendi modum laudant et in hoc inesse antiquitatem incorruptam credunt (de or. III 42 ss. Brut. 259, cf. excursum II). Cognoscitur ex *incorrupta antiquitate* (de or. III 45) quam omnes petunt, ea studia sequi Graecam rationem. Sed haec ad vocem tantum spectant;

---

[1]) Cf. ad haec veterum philologorum studia Reitzenstein, Geschichte der griechischen Etymologica (1897) 378 ss.; Christ-Schmidt, Geschichte d. griech. Literatur II 1[6] (1920) 443 s. 340, 1. (v. etiam Hendrickson, Class. Philol. I, 1906, 98 ss.).

[2]) In quibus facetias esse ex Oratore intellegitur (88), quas Romanis illis Atticorum imitatoribus deesse iudicat Cicero.

Latinitatis omnibus partibus Scipionis aetate studeri ex Lucilii imprimis fragmentis scimus. Horum studiorum Cratetem ipsum anno fere 168 Romae versatum auctorem fuisse potissimum credamus, cum Stoicorum praecipue de lingua doctrinam Romani hoc tempore secuti sint (cf. Reitzenstein, M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus 90 ss.). Etiam Diogenem Babylonium favisse his studiis verisimile est; porro Panaetium puro sermoni Attico operam dedisse demonstravit Hirzel (Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften II 376). Quae Cicero de bene loquendi studiis colligit (Brut. 258 ss.) serioris aetatis sunt, qua apud omnes constare videtur Scipionis et Laelii aequales optime locutos esse non ratione sed consuetudine (v. Brut. l. c.).

Cicero (Brut. 170—172) ad ἀττικισμόν, qui recte et eleganter, praeterea facete loquendi modus intellegendus est, in Romana ratione accommodat urbanorum locutionem a ceteris proprio sapore distinctam, cui nomen urbanitatis dat,[1]) ita ut ἑλληνισμοῦ virtuti ἀττικισμῷ respondeat apud Romanos urbanitas, quae est virtus Latinitatis.[2]) Lutsch nimis artis finibus hanc urbanitatis significationem circumscripsit, cum ad vocem et litteras exprimendas praecipue rettulit ea quae ad colorem omnes sermonis partes imbuentem spectant. Iudicavit enim unam urbanitatis significationem esse vocem et linguam urbanorum rusticae asperitati et peregrinae insolentiae contrarias. Haec est exigua tantum loquendi pars,[3]) in qua tractanda (de or. III 40 ss.) Cicero verbum *urbanitas* non adhibet. Cum autem anno 54, libris qui de oratore sunt modo editis, scribat ad Atticum de Vestorii Latino ἀττικισμῷ, id est totius sermonis colore (Att. IV 19, 1, cf. adn. 63), verisimile est eum de industria non uti verbo *urbanitas* ad oris suavitatem solam notandam.

Cicero ergo in suae aetatis de bene loquendo certamine eam rationem sequitur, quam eadem in contentione Graecorum quidam proposuerunt, et eas partes, quas apud Graecos habet Atheniensium consuetudo, locutioni Romae usitatae tribuit, quam sententiam multis probari intellegitur ex Var-

---

[1]) Hanc urbanitatem loquendi colorem in animo habet Asinius Pollio, cum in Livio vituperat Patavinitatem Romano dicendi colori contrariam: Quint. I 5, 56. Cf. Norden, Kunstprosa I 237, 1. Verbum fictum est ad vocis *urbanitas* vel *Latinitas* exemplum; eodem modo Quintilianus opponit urbanitati verbum *rusticitas* (VI 3, 17).

[2]) Non spectat ergo hoc loco *urbanitas* ad ἀστεϊσμόν, ut interpretatus est Kroll in quinta editione Iahnii commentarii; ἀστεϊσμός enim quamquam apud Demetrium nondum ad ridiculi notationem plane relegatur tamen plerumque ad iocum pertinet (v. excursum I), nunquam autem usurpatur ad totius orationis colorem significandum, cui obstat iam pluralis formae frequens usus (Dem. de eloc. 128 alibi).

[3]) Quintilianus eam partem verbo *os* a ceteris distinguit: I 1, 13. 5, 32. XI 3, 30.

ronis Latinitatis definitione quam sequitur Diomedes (439, 15, v. Varro, frg. 115 G.-Sch.) *Latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam.*[1]) Hanc rationem ante Ciceronem iam diu exstitisse verisimile est, cum idem spectent bene loquendi studia Catulorum, de quibus Crassum referentem fingit Cicero (de or. III 40 ss.); verbum autem *urbanitas*, quo omnia urbani sermonis propria colliguntur, secundum vocem *ἀττικισμός* a Cicerone fictum vel potius ex vi eo tempore usitata ad hanc rem delatam esse conicere licet. Nam in illo dialogo, in quo novus hic usus occurrit, statim quaerit Brutus ex Cicerone qui sit iste color urbanitatis et in respondendo Cicero certis finibus eum circumscribi posse negat.

Congruit hic vocis *urbanitas* usus cum illa veteris urbanitatis notione quae ad salem spectat (v. s. p. 42) ea in re, quod uterque ab urbe quae Romam significat derivatur, qua de causa non rusticis, sed peregrinis et externis proprietatibus opponitur. Qui usus differt ab ea vi plerumque observata, quae anno fere 80 primum occurrit (v. s. p. 27), cum novus ille usus qui ad urbem Romam spectat ab anno 55 fere inveniatur apud Ciceronem (cf. s. p. 46). Quam ad rem quadrat Domitii Marsi de vocis *urbanitas* usu testimonium (s. p. 25 allatum) quod exstat apud Quintilianum (VI 3, 103): *Urbanitas . . . . quam propriam esse nostrae civitatis et sero sic intellegi coeptam, postquam urbis appellatione, etiam si nomen proprium non adiceretur, Romam tamen accipi sit receptum.* Hac in re Ciceronis auctoritatem multum valuisse coniciendum est non tam ad constituendam illam significationem, quae ad facetias spectat, cum nisi in epistulis eius non occurrat, quam ad notionem *ἀττικισμῷ* accommodatam, quae tamquam nova in Bruto inducitur.

Excursus I.

De verborum *ἀστεῖος* et *ἀστεϊσμός* in Graeca arte rhetorica usu.

Postquam demonstratum est, quo modo verbo *ἀστεῖος* Graeci quinti et quarti saeculi usi sint, restat ut de huius verbi vi in arte rhetorica disseratur. Nam et apud auctorem qui scripsit artem rhetoricam ad Alexandrum missam inter Aristotelis scripta traditam, quam ab Anaximene anno fere 340

[1]) Cf. Norden, Kunstprosa I 180.

compositam esse plurimi viri docti sibi persuasum habent Spengelii iudicium secuti, et apud Aristotelem in elocutionis tractatione exstant praecepta quae ad *τὰ ἀστεῖα λέγειν* pertinent. Interest imprimis quaerere, num verbum *urbanitas*, quod in Romanorum de risu movendo scriptis occurrit, ad Graecorum *ἀστεῖα* referendum sit. Quod coniecisse videtur Spengel, qui in commentandis artis Aristotelicae capitibus, quibus *τὰ ἀστεῖα* tractantur (III 10—11), reiecit lectorem ad Ciceronis de risu tractatum (de or. II 216—289) et verbi *urbanitas* definitionem quam profert Quintilianus in eodem contextu quo Cicero, ubi ioci vocabula maxime usitata interpretatur (VI 3, 17).[1]) Qui sint fines illius *τὰ ἀστεῖα λέγειν* ex communi vocabuli *ἀστεῖος* usu facile intellegitur: spectat verbum *ἀστεῖος* ad elegantiam cum habitus tum sermonis idemque saepe iocandi subtilitatem et acumen significat, quae in oratoribus imprimis laudantur (cf. Dem. Aristocr. [23] 206), saepe etiam laudem universe indicat sine propria urbis significatione, quod maxime Stoicorum usus in ethica disciplina docet. In Anaximenis arte rhetorica discernendum est inter usum ex cotidiano sermone sumptum imprimis adiectivi, quo elegantia et expolitio orationis laudatur: c. 22 (58, 14)[2]) *καὶ οὕτως ἀστεῖος ὁ λόγος φανεῖται.* (59, 18) *ἂν δὲ ἀστεῖον γράφειν θέλῃς λόγον*, et inter substantivum plurali forma plerumque adhibitum et cum verbo *λέγειν* coniunctum: c. 22 (58, 5) *ἀστεῖα λέγειν.* (Aristoteles articulum substantivo addit: *τὰ ἀστεῖα* Rhet. III 10 1410 b 6.) Significant *τὰ ἀστεῖα* certa quaedam elocutionis ornamenta — singula dicta intelligenda esse ipsa pluralis forma indicat et Demosthenis locus supra allatus (p. 14) confirmat (*ἂν ἓν ἢ δύ' ἀστεῖα εἴπωσιν*) —, quas orationis figuras esse ex eo praecipue apparet, quod Anaximenes in ornamentorum enumeratione pro illo *ἀστεῖα λέγειν* nomine *ἀστειολογίαι* utitur (c. 6. 35, 20 . . . *παλιλλογίαι καὶ ἀστειολογίαι* cf. c. 28. 64, 22).[3]) Forma singularis sub-

[1]) Verbo *ἀστεῖος* vocem *urbanus* respondere in arte rhetorica contendit Arndt, De ridiculi doctrina rhetorica. Diss. Lips. 1904 p. 49; vocem *urbanitas* cum vocabulo *ἀστεϊσμός* comparandam esse negavit, cum *ἀστεϊσμόν* troporum modo speciem intellegat.

[2]) Numeri indicant paginas et versus editionis rhetorum Graecorum ex recensione Leonardi Spengel ab Hammero editae vol. I pars II 1894.

[3]) Si distinguimus, quod res postulat, ab usu communi verbi *ἀστεῖος* usum artis rhetoricae, sequitur ut ea quae ad *ἦθος ἀνθρώπων* spectantia profert Anaximenes c. 22 (59, 18), non cohaereant tam arte cum illo *ἀστεῖα λέγειν*, ut supplementum eius de *ἀστειολογίαις* capitis intelligendum sit, quod verbo *ἀστεῖος* fraudati coniecerunt viri docti (cf. Wendland, Anaximenes von Lampsakos 52 ss.). *ἀστειολογίαι* enim certum elocutionis ornamentum perhibent; in illo contra de personis respiciendis praecepto nihil nisi orationem elegantem fieri, si personarum ratio habetur, admonet auctor: *ἂν δὲ ἀστεῖον γράφειν θέλῃς λόγον*. Quae ad *ἦθος* non neglegendum monet, sane adnotatio est, sed cum *ἀστειολογίαις* non cohaeret. Suppleta fortasse sunt ex alio quodam auctore, qui vocabulo *ἀστεῖος* profusius usus est, quod cum huius aetatis consuetudine optime congruit.

stantivi ubi occurrit pertinet ad τὰ ἀστεῖα λέγειν quae figura orationis intelligenda est: c. 15 (48, 24) ἐὰν μὴ βούλῃ γνώμην ἢ ἐνθύμημα συντόμως εἰπεῖν τοῦ ἀστείου ἕνεκεν, nam γνώμη et ἐνθύμημα materiam perhibent ἀστειολογίαις. ἀστεῖα ergo non pro iocandi vocabulo ab Anaximene usurpatur sed ad indicandum sententiae splendorem et acumen, quae auditoris admirationem excitant.[1]) Neque alio sensu Aristotelem τὰ ἀστεῖα, quae in elocutionis ornamentis numerantur, adhibere cognoscitur ex voce τὰ εὐδοκιμοῦντα, quacum τὰ ἀστεῖα ab initio tractationis coniunguntur: III 10, 1410 b 6 ss. πόθεν λέγεται τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα λεκτέον. Per totam disputationem haec vocabula alterum pro altero usurpantur nonnullisque locis ἀστεῖον λέγειν idem atque εὖ λέγειν valet. Quadrat ad hunc verborum usum, quod sedes horum luminum orationis apud Aristotelem imprimis translatio est; quae altero capite (11) ex variis ridiculi generibus ad translationem adduntur, ad ipsius verbi ἀστεῖος significationem nihil adiciunt.

Quaeritur nunc, quae orationis figurae ἀστεῖα appellentur. Habentur ἀστειολογίαι apud Anaximenem in eorum ornamentorum numero, quae χρήσεις (c. 6) vel δυνάμεις (c. 28) vocantur omnibusque orationis εἴδεσιν, quorum septem Anaximenes enumerat, conveniunt. Locum habent in ea parte disputationis, qua elocutio tractatur (c. 18—28). Efficiuntur dispergendo enthymemata[2]) vel integra vel concisa atque sententias per omnem orationem. Concidenda sunt enthymemata, ut quod non aperte dicitur ab auditore coniectura suppleatur. Apparet has figuras quae ἀστεῖα nominantur valere ad ornandam orationem vel gravitate, quod sententiae, vel acumine, quod enthymemata perficiunt. Cum hac Anaximenis doctrina in universum Aristoteles congruit, qui multo subtilius de hoc ornamento agit. (Rhet. III 10—11 1410 b 6 ss.) Praecepta quae attinent ad τὰ ἀστεῖα in ea parte artis rhetoricae dantur, qua elocutio tractatur (III 1—12). Porro id quod Aristoteles proprium esse huius τὰ ἀστεῖα λέγειν docet, quod in celeriter cognoscendo aliquid iuvat auditorem, cum illo Anaximenis praecepto quod ad enthymemata concisa spectat cohaerere videtur. Etiam quod antithesin figuram ad ἀστεῖα efficienda necessariam esse Aristoteles docet, ad Anaximenis doctrinam quadrat, cum enthymema secundum Anaximenem

---

[1]) Verbum ἀστεῖος apud Anaximenem non ad facetias pertinere, quod Campe (Philol. 9, 1854, 286), et Thiele (Herm. 30, 1895, 124 s.) voluerunt, comparato voce ἀστεϊσμός ex troporum numero, iam Spengel contendit (Philol. 18, 1862, 630), postea Wilamowitz (Herm. 34, 1899, 623), horum exemplis auctis Wendland (Anaximenes von Lampsakos 53).

[2]) Verbum ἐνθύμημα apud Anaximenem propriam vim habet (cf. c. 10. 43, 11 ss.), quam interpretatus est Wilamowitz Herm. 34, 1899, 623: „Es ist die Constatierung eines Contrastes, der in die Augen springt und dem Hörer ein ἐνθύμιον wird. Davon hat es seinen Namen, der offenbar sehr alt ist."

sententia sit, qua duae res inter se contraria esse indicantur (cf. adn. 5). Videtur Aristoteles his in rebus similem doctrinam secutus esse atque Anaximenes, quae tamen ab Aristotele ita expolitur, ut his orationis luminibus certa quaedam regio multo angustior quam apud Anaximenem circumscribatur; nam nisi in certo translationis genere cum certa verborum figura, antithesi scilicet, coniuncta ἀστεῖα non exstant, accedant oportet verba, quibus ante oculos ponuntur ea quae dicuntur, quod maxime animando inanimas res efficitur. Sed addit Aristoteles his, quae ad orationem gravitate et acumine ornandam spectant, novam quandam quam non commemorat Anaximenes vim, quae fallenda auditoris opinione auget τὸ ἀστεῖον: 1412 a 18 ἔστι δὲ τὰ ἀστεῖα τὰ πλεῖστα διὰ μεταφορᾶς καὶ ἐκ τοῦ προσεξαπατᾶν. Addito hoc munere τὰ ἀστεῖα cum ridiculi doctrina coniunguntur, cuius forma paene usitatissima est τὸ προσεξαπατᾶν. Enumerantur varia ridiculi genera quae inveniuntur etiam in tractatu Coisliniano et in Romanorum de risu disputationibus (cf. Arndt 5 s.): certa ἀποφθέγματα, εὖ ᾐνιγμένα, παραπεποιημένα, ὁμωνυμία; accedunt his satis demonstratis εἰκών, παροιμία, ὑπερβολή, quae aliquo modo in translationis specie habenda esse demonstrantur.

In posterioris aetatis doctrina rhetorica, quantum ex reliquiis intellegere possumus, nullum locum habent τὰ ἀστεῖα inter elocutionis ornamenta quemadmodum ab Anaximene et Aristotele describuntur, cum ne nomen quidem τὰ ἀστεῖα in peripateticae doctrinae fragmentis vel in posteriorum rhetorum tractatibus inveniatur. Saepius occurrit vocabulum ἀστεϊσμός ab Aristotele nondum usurpatum, de quo, cum ab eodem verbo derivatum sit quo ἀστεῖος, quaerendum est, quo modo cohaereat cum doctrina quae ad τὰ ἀστεῖα pertinet.

Ἀστεϊσμός apud eos auctores qui de tropis scribunt pro certa quadam troporum specie usurpatur. Ii tamen scriptores, qui intercedunt inter Aristotelem et illos rhetores, verbum partim non longe alia vi adhibent atque Aristoteles τὰ ἀστεῖα, partim tantum ad aliquod ridiculi genus significandum. Ac primum ei loci inspiciendi sunt, ubi ἀστεϊσμός eodem modo quo τὰ ἀστεῖα non ad ridiculum tantum spectat. In Demetrii de elocutione libro duo genera venustatis discernuntur, quorum alterum ad serias res, alterum ad iocosas pertinet. In utroque genere describendo pro voce χάρις nonnullis locis ἀστεϊσμός dicitur: nam 128 verbum ἀστεϊσμός pro dictis iocosis usurpatur, 130 idem verbum Homericas σεμνὰς χάριτας significat quae nihil habent ridiculi, neque aliter voce ἀστεΐζεσθαι ad σεμνὰς χάριτας indicandas auctor in eo capite utitur (149). Unde concludere licet peripateticos, quorum doctrinam in venustate tractanda Demetrius sequitur (cf. Arndt p. 15), nomine ἀστεϊσμός et seria et iocosa orationis lumina appellavisse. Neque neglegendum est quam arte inter se coniunctae sint voces ἀστεϊσμός

et *χάριτες* in Demetrii libro; quamquam enim auctor eum orationis ornatum de quo agit nomine *χάρις* quasi determinat, tamen, quod ad rem ipsam pertinet, nulla differentia esse in utriusque notionis usu videtur.

Magis usitata fuisse intellegitur verbi *ἀστεϊσμός* significatio ad facetias relegata. Apud auctorem qui de sublimitate scribit in eo capite, quo Hyperidis virtutes dicendi cum eis Demosthenis comparantur (34), voce *ἀστεϊσμός* varia iocandi genera comprehenduntur, in quibus sunt *μυκτήρ, εἰρωνεία, σκῶμμα, διασυρμός.* Qui vocabuli *ἀστεϊσμός* usus, quo iocus in universum indicatur, cum illo Demetrii usu, qui ad *χάριτας κωμικωτέρας* pertinet, congruit. Cum porro in eodem capite Hyperidis *ἀρεταί* et *χάριτες* nominentur, mox facetiarum eius suavitas verbo *ἐπαφρόδιτος* laudetur, dubium non est quin hic quoque scriptor voces *ἀστεϊσμός* et *χάρις* pro eadem fere re adhibeat, ita ut in *χαρίτων* numero etiam *ἀστεϊσμοί* habendi sint. Eodem modo etiam Dionysius Halicarnassensis utitur vocabulo (Dem. 54), ubi de Demosthenis iocandi facultate iudicat. Etsi locus valde corruptus est, tamen ex contextu apparet verbum *ἀστεϊσμός* cum vocibus *χάρις* et *εὐτραπελία* consentire (v. s. p. 39 s.).

Cum locis adhuc allatis *ἀστεϊσμός* imprimis ad facetias universe appellandas pertineat, quae significatio posterioribus quoque temporibus exstat (cf. e. g. Rhet. Gr. I 2 369, 23), apud alios artis scriptores proprium quoddam genus ioci significat, quod in troporum numero invenitur. Proprio sensu iam apud Philodemum occurrit (181, 23 Sudhaus) *διαιροῦνται δ' αὐτὴν εἰς εἴδη τρί' αἴνιγμα παροιμίαν εἰρωνείαν, παραλείποντες μέν, εἰ πάσας ἐκφορεῖν ἐβούλοντο τὰς ἰδιότητας, τόν τε γρεῖφον καὶ τὸν ἀστεϊσμόν.* Hoc loco verbum *ἀστεϊσμός* non ut in de sublimitate libello ad omnia genera ioci universe significandas, sed ad unam ex his generibus speciem nominandam adhibetur. In Tryphonis de tropis libro occurrit *ἀστεϊσμός* inter ironae species una cum *σαρκασμῷ μυκτηρισμῷ χαριεντισμῷ παροιμίᾳ* (Rhet. Gr. III 206, 11). Ab hac dispositione non valde abhorrent ea quae Quintilianus in institutione oratoria de tropis dicit (VIII 6, 54 ss.), qui testatur *σαρκασμόν ἀστεϊσμόν ἀντίφρασιν παροιμίαν* numerari a nonnullis inter species allegoriae, ab aliis, quorum ipse iudicium probare videtur, pro propriis tropis haberi. Hanc doctrinam videntur secuti esse plurimi rhetorum Graecorum, qui de tropis vel de schematibus scribunt, usque ad Byzantinam aetatem (Rhet. Gr. III 23,8. 98, 12. 214, 5. 235, 26. 254, 26. 222, cf. Caecilius frg. ed. Ofenloch 37, 18, ex cuius libro qui est *περὶ σχημάτων* haec omnia derivata esse verisimile est.[1]) Si ex his locis colligimus quae ad tropi *ἀστεϊσμός* definitionem pertinent, discimus *ἀστεϊσμόν* esse irrisionem

---

[1]) Cf. Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Lit. II 1⁶, 464.

(λόγον διασυρτικόν) per contrarium (ἐναντίον) ad ipsum oratorem pertinentem (ἀφ' ἑαυτοῦ), cuius formam esse antithesin nonnulli addunt.

Videmus ergo in arte rhetorica vocem ἀστεϊσμός, quae primo et ad serias et ad ridiculas sententias significandas adhibetur, plerumque ad facetias indicandas usitatam esse, tum in propriam speciem certi cuiusdam generis facetiarum incidisse. Idem in alio rhetoricae doctrinae verbo saepe usitato observari potest. Nam χαριεντισμός, quod nomen a verbo χαρίεις ducitur ut ἀστεϊσμός a verbo ἀστεῖος, primo a voce a qua derivatum est non valde discrepat, quod ex Demetrii usu apparet. χαριεντισμός enim significat illud genus orationis, quod plurimas χάριτας continet; 128 ὁ γλαφυρὸς λόγος χαριεντισμός ἐστι καὶ λόγος ἱλαρός. Postea autem χαριεντισμός non aliter atque ἀστεϊσμός certis finibus circumscriptus in troporum numerum receptus est.

Si quaerimus, num verba *urbanitas* et *urbanus* cohaereant cum vocabulorum ἀστεῖος et ἀστεϊσμός usu rhetorico, videmus verbum *urbanitas*, quamquam in rhetorico usu ad Graecam quandam vocem nusquam distincte refertur, tamen idem valere in arte rhetorica atque vocabulum ἀστεϊσμός. Itaque verisimile est Ciceronem, qui copiosae de ridiculo disputationis materiam (de or. II 216 ss.) hausit ex Graecis περὶ γελοίου libris, Latino verbo *urbanitas* tribuisse eam vim a genuina aliquantum remotam, quam in Graeca voce ἀστεϊσμός eodem modo ficta invenit (v. s. p. 41). Verbum autem, quod apud Romanos illud τὰ ἀστεῖα valeat, non invenitur, quod eo minus miramur, quia post Aristotelem in Graecae quoque artis reliquiis frustra quaeritur. Respondent eis ornamentis orationis, quae τὰ ἀστεῖα dicuntur, apud Romanos aliquo modo lumina sententiarum et verborum per totam orationem dissipata (Cic. de or. III 199—209), in quibus singula multa inveniuntur congruentia cum Graeca de ἀστειολογίαις doctrina, cf. e. g. Cic. de or. III 202 s.: *Significatio, distincte concisa brevitas, extenuatio, dissimulatio;* Rhet. Herenn. IV 44 ss. *superlatio, translatio, permutatio ex contrario, significatio* (67). Itaque si τὰ ἀστεῖα aliqua ex parte in has figuras et tropos recepta esse putamus, apparet proprium nomen in Romana arte his orationis luminibus non dari, minime autem vocem *urbanus* referri posse ad τὰ ἀστεῖα.

Apud unum tamen Romanorum auctorum invenitur vocis *urbanus* usus ad artem rhetoricam pertinens, qui cum Graecorum ἀστειολογίαις comparari potest. Domitius Marsus, quem de urbanitate librum conscripsisse tradit Quintilianus (VI 3, 102 ss.), urbanitatem esse virtutem quandam in breve dictum coactam docuit. Discernit eorum dictorum, quae urbana nominat, seria iocosa media, unde apparet omnia, quae bene dicta sunt, ab eo urbana dicta appellari. Quod valde vituperat

Quintilianus, cum Ciceronis in arte rhetorica vocabuli *urbanus* usum sequatur ex consuetudine eius temporis sumptum, qui ad iocosa tantum pertinet. Praeterea urbanitatem singulorum dictorum virtutem esse negat, sed totius orationis colorem esse contendit ut Graecorum *ἀττικισμόν*, quam urbanitatis notionem ex Ciceronis Bruto sumpsit (170—72; v. s. p. 51 ss.). Si singulis quoque dictis urbanitatis laus concedendum est, uni tantum seriorum dictorum generi tribuit (VI 3, 110). Intellegimus Domitium Marsum urbanitatis notionem neque ad ioci significationem neque ad dicendi certum quendam colorem relegare, ut fieri solet in arte rhetorica, ubi urbanitas respondet Graecis vocabulis *ἀστεϊσμός* aut *ἀττικισμός*, sed omnibus brevibus dictis, sive seria sive iocosa sunt, tribuere. Ex Quintiliani verbis concludi potest (102) dicta iocosa in usitata ridiculi genera distribui a Marso, seriis propria genera inveniri: honorificum, contumeliosum, medium quod *ἀποφθεγματικόν* vocatur (109). Cum hoc loco Graecum vocabulum adhibeatur, non plane reiciendum est etiam cetera ex Graeca doctrina sumpta esse. Nam Marsi verbi *urbanitas* usus, quem a rhetorica consuetudine discrepare ex Quintiliani vituperatione intellegitur, congruit cum verbi *ἀστεῖος* rhetorico usu, quo certus orationis ornatus significatur. Aristoteles *ἀστεῖα* quae cum facetiis iunguntur variis ridiculi generibus tribuit; simili modo seria *ἀστεῖα* connecti poterant cum dictorum quibusdam generibus, quorum nonnulla Aristoteles in artis rhetoricae capite quod *περὶ γνωμολογίας* est (II 21 1394 b 34) commemorat, ut *γνώμην, ἀπόφθεγμα, παροιμίαν*. Talem ad *ἀστεῖα* spectantem doctrinam apud Graecos exstitisse argumentis firmari non potest, cum inter Aristotelem et serioris temporis scriptores artis nihil fere ex elocutionis tractationibus servatum sit neque ulla vestigia huius doctrinae exstent apud posteriores. Ne hoc quidem certum est, Marsum suam urbanitatis notionem ex vocis *ἀστεῖος* usu derivasse; ea tamen de causa hoc conici licet, quia ex Romanorum verbi *urbanus* usu hanc notionem Marsus vix derivare potuit, cum verbum *urbanus* semper propriam quandam vim habeat, sive facetiarum elegantia sive se gerendi humanitate sive eruditionis subtilitate distinctam, universam laudem nulla in re ad urbis aliquam proprietatem spectantem, quod in verbi *ἀστεῖος* usu observatur, non contineat, exceptis paucis locis, ubi verbo *urbanus* vocabulum *ἀστεῖος* vertitur (v. s. p. 47). Itaque verisimile est Marsum hunc usum ex Graeco verbo synonymo deduxisse. Cui coniecturae non contrarium est Marsum vocabulum *urbanitas* ad vocem *urbs* qua Roma ipsa significatur referre, quod testatur Quintilianus (VI 3, 103); nam Romanas res ad Graecas occommodari ipsa vox *urbanitas* confirmat cum Graecorum notione *ἀττικισμός* comparata (Cic. Brut. 170—72. Quint. VI 3, 107). Post Marsum ut videtur nemo invenitur, qui illum

usum secutus sit; Quintilianus in risu tractando hanc urbanitatis definitionem refellendam censet et eas in arte rhetorica urbanitatis partes defendit, quas Cicero in scriptis rhetoricis urbanitati attribuit ad Graecae artis *ἀστεϊσμόν* qui facetias significat et *ἀττικισμόν* accomodatas.

Excursus II.
De sermone rustico Romano.

De sermone rustico, quem locum teneat apud Romanos in cotidiana vita et apud grammaticos, egit E. Norden, De Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio (Ind. lect. Gryphiswald. 1895, p. VIII ss.). Quam commentationem in hac re iterum breviter tractanda sequimur. Ceteri viri docti, imprimis qui linguis a Latina derivatis quas *Romanische Sprachen* vocamus operam dant, rustici sermonis propria in eum sermonem omnia quae a litterarum usu discrepant complexum, quem *Vulgärlatein* nominant, receperunt. Quorum primus Schuchardt (Der Vokalismus des Vulgärlateins, 1866—68, I 47 ss.), quamquam distinxit inter sermonem rusticum et urbanum, id est scriptorum locutionem, tamen rustici sermonis nomine etiam sermonem cotidianum, plebeium, proletarium, vulgarem, militarem comprehendit. Nec ceteri viri docti qui linguis a Latina natis student rusticorum propriam linguam circumscripserunt, suo scilicet iure, cum ad novarum linguarum originem cognoscendum non intersit singulas vulgaris illius sermonis partes separatim tractare.[1]) Quae nomine „Vulgärsprache" ita colliguntur loquendi genera distinxit et singula constituit Sittl (Was ist Vulgärlatein? Verhandlg. d. 40. Vers. deutscher Philologen u. Schulmänner in Görlitz 1889, 385—92). Discernit inter loquendi modos qui in urbibus, ruri, in oppidis inter se diversi observantur (385): „Vor allem schied sich (in der Volkssprache) Stadt und Land, denn Cicero und die Späteren stimmen darin überein, daß selbst der ungebildete Bewohner Roms an der urbanitas teil hat und dessen bewußt die Sprache des Bauern, die rusticitas, selbstgefällig verhöhnt; zwischen beiden gebührt dem Kleinstädter mit seinem oppida-

---

[1]) Quamquam non eisdem circumscribunt finibus eum sermonem quem *Vulgärlatein* nominant. Cf. imprimis Meyer-Lübke apud Groeberum, Grundriß d. romanischen Philologie I [2] (1904—06) 455. Bernhardy, Grundriß d. röm. Literatur [5], 350, Anm. 240. Stolz (Hist. Gramm. d. latein. Sprache, herausg. v. Blase, Landgraf u. a.) I 41 ss. Grandgent, An introduction to vulgar Latin 3 ss. Skutsch, Lateinische Sprache (Kultur d. Gegenwart I 8 [3]) 535 ss. Conspectum librorum dat Sommer, Handbuch d. lat. Laut- u. Formenlehre [2, 3], 23 ss.

num genus dicendi ein Platz."[1]) De quibus agit Cicero de or. III 44: urbanorum suavi locutioni opponit *rusticam asperitatem* et *peregrinam insolentiam*; itemque Quintilianus *os urbanum* separat a *rusticitate* et *peregrinitate* (XI 3, 30). Sittl l. c. censuit inter urbanos et rusticos medium tenere oppidanos, ascito alio Ciceronis loco (Brut. 242): *oppidano quodam et incondito genere dicendi.* Qua in re neglegere videtur non de loquendo sed de dicendo agere Ciceronem illo Bruti loco nec de oppidano quovis sed de oratore, cuius orationes iudicat nulla in re adaequare eam elegantiam, qua excellunt urbis oratores litteris et doctrina expoliti. Urbanis et rusticis Cicero tertios addit peregrinos, in quorum numero habet oppidanos et municipes, quod cognoscitur ex eo Bruti capite, quo de externis oratoribus, Fregellanis, Vettianis, Soranis (de quibus cf. etiam de or. III 43) aliis agitur (169 ss). Longe aliter iudicat Quintilianus (cf. Norden, De Stilone X), qui in peregrinis verbis tractandis dicit *Licet omnia Italica pro Romanis habeam* (I 5, 56). Ubi oppidanorum locutio commemoratur, quod fit in comoedia risus movendi causa vel apud grammaticos in verborum formis interpretandis, nomen uniuscuiusdam oppidi affertur, quod frequens Praenestinorum exemplum docet (v. i. p. 67);[2]) nam sermo vulgaris non omnibus locis idem fuit, sed discessit in varias proprietates (cf. Sittl 386). Itaque si peregrinos, de quorum locutione sparsa tantum traduntur, ex propriis Latinitatis finibus relegamus,[3]) restant urbani et rustici, quorum in locutione quanta sit discrepantia apparet ex Ciceronis verbis fin. II 77, quibus Latinae linguae unitas urbanorum et rusticorum consensu exprimitur: *quam omnes urbani rustici, omnes inquam qui Latine loquuntur voluptatem vocant.* Rustici hic et aliis locis cum urbanis comparati Latii ruris incolae intelligendi sunt (cf. Norden, Kunstprosa I 183), cum urbani quibus rustici opponuntur non cuiusvis urbis sed Romae incolae sint (de or. III 42). Quod confirmat Varro, qui vocalis *e* pro *ae* diphthongo pronuntiationem altero loco Latio ruri tribuit (l. L. V 97), altero rusticis non accuratius circumscriptis (l. L. VII 96).

---

[1]) De loquendi varietate, quae ex locorum differentiis nascitur, idem egit libro qui inscribitur Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache. 1882. Cf. imprimis 2 ss.

[2]) Quintilianus I 5, 56 testatur sermonem Tuscum Sabinum Praenestinum irrideri a Lucilio, quia a vera Latinitate abhorrent. Qua in re Graecam rationem sequi Romanos, qui purae Latinitati student, censuit Reitzenstein (M. Ter. Varro u. Johannes Mauropus 90): „Die einzelnen Sprachsünden schrieb man in diesem Kreis, nach griechischem Vorbild, bestimmten Gegenden und Dialekten zu, so wirft Lucilius einem Vettius den Gebrauch tuskischer, sabinischer und pränestinischer Idiotismen vor, und Titinius höhnt diejenigen, qui obsce et volsce fabulantur, nam Latine nesciunt."

[3]) Quid de mala peregrinorum scriptorum locutione iudicaverint Cicero eiusque aequales, docet Norden, De Stilone XI s.

Quamquam differre rusticum sermonem ab urbanis non pauci auctores testantur, tamen descriptio rustici sermonis omnia singularia continens, cui contrarius sit sermo urbanus, apud antiquos non invenitur; Nigidi Figuli verba *rusticus fit sermo, si aspires perperam* (Gellius XIII 6, 3) sermonem non rustici, sed hominis rudis et grammaticae imperiti significant. Varro saepius ad etymologias suas confirmandas rusticas formas adhibet; de rustica voce copiosius agit Cicero (de or. III 42). Nec mirum est rustici sermonis proprietatem plane neglegi; grammatici enim et rhetores, quorum erat praecepta bene loquendi dare, dicendi rationem praecipue respiciunt, sermonis cotidiani rationem non habent, quod queritur Cicero off. I 132, ubi de sono et colore politae orationis agit: *Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis: quamquam haud scio an possint haec quoque esse.* Et qui Ciceronis aetate de sermone Latino scripsit Varro Latinitatem ad urbanae linguae normam dirigit, ut testatur Diomedes (439, 15 — Varro frg. 115 G.-S.), in illo fortasse de sermone Latino libro (cf. Norden, De Stilone X, 1). In oratione publica autem quae verborum formae occurrunt abhorrentes ab urbis Romae consuetudine, pro barbarismis habentur: Hortensius Tingam Placentinum vituperat, quia pro verbo *pergula* dixit *precula* — in quo uno verbo duo vitia esse statuit Quintilianus (I 5, 12). Grammatici ergo cum litterarum tantum locutioni operam dent, sermonem ab usu litterarum discedentem neglegant, de rusticorum propriis nihil fere docent, nam pro falsis habentur omnia quae abhorrent a pura Latinitate, neglecta plane verbi origine, sive apud milites sive rusticos sive plebem urbanum vel peregrinos usurpatur, cuius rationis exemplum est posterioris temporis Appendix Probi. Nec plus ex inscriptionibus de rustico sermone discimus, cum variis locis varie locuti sint Italici (v. s. p. 64).

Quae rustici sermonis propria ab auctoribus nobis traduntur, plerumque pertinent ad pronuntiationem; nonnulla discimus praeterea de verborum formis ab urbano usu discrepantibus (Varro l. L. V 21. VII 73), de usu verborum, sive inusitata usurpantur (Varro l. L. VI 68) sive usitata alio sensu adhibentur (Varro l. L. VII 84), de locutionibus saepe adhibitis et proverbiis denique (Varro de l. L. V 177. Cic. de or. III 155, cf. II 96. Or. 81).[1]) Pro *ae* diphthongo rustici dicunt *e* longum (Lucil. 1130 cf. Varro l. L. V 97. VII 96), pro *i* longo *e* longum (Cic. de or. III 46. Varro de r. r. I 48, 2): pro brevi *i* apud rusticos dicitur breve *e* (Varro de r. r. I 2, 14, cf. Quint. I 4, 17). Graeca nomina propria praeterea perverse pronuntiari a rusticis

[1]) In eisdem rebus, ut consentaneum est, a litterarum usu differt municipalis sermo (cf. Plaut. Truc. 690. Trin. 611. Varro frg. 101 G.-S.) et urbanorum consuetudo cotidiana (cf. quae de Augusti locutione colligit Suetonius Aug. 87).

testatur Quintilianus XII 10, 57. Quorum nonnulla in linguis a Latina derivatis repperiuntur: quod diphthongus *ae* in *e* longum mutatur (cf. Groeber, Grundriß d. roman. Philologie I 464 s.) et *i* breve in *e* breve (cf. Groeber l. c. 467),[1]) unde hanc loquendi rationem non apud rusticos Latinos tantum, sed pluribus locis usitatum fuisse concludi potest; contra *i* longi in *e* longum mutatio, quam testantur Varro in uno verbo de r. r. I 48, 2, *spica autem quam rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam* et Cicero de or. III 46 *ut I litteram tollas et E plenissimum dicas*, quia in linguis ex Latina exortis deest, nisi apud rusticos Latinos non exstitisse intellegitur (cf. Seelmann, Aussprache d. lat. Spr. 195).[2]) *E* pro *ae* diphthongo dici iam exeunte alterius a. Chr. n. saeculo Lucilii versus testatur (1130) *Cecilius pretor ne rusticus fiat*, plura exempla postea affert Varro (de l. L. VII 96. V 97).[3]) Confirmant hunc usum verba ex rustica vita sumpta, quae pro genuino *ae* saepius rusticum *e* habent, ut *fenisicia* pro *faenisicia*, *sepes*, *septum* pro *saepes*, *saeptum* (cf. Lindsay-Nohl, Lat. Spr. 47). Quod contendit Sittl (Die lokalen Verschiedenheiten d. Lat. 5 s.), Lucilii tempore mutatum esse *ae* in praefixis tantum, ut *pretor* dictum sit a rusticis, *Cecilius* a Lucilio ridiculi causa additum sit, refutant exempla quae collegit Ernout 325, quorum nonnulla ex Praenestinis, Faliscis, Spoletinis inscriptionibus sumpta ostendunt etiam in medio verbo et nominibus propriis diphthongum *ae* in *e* longum mutatum esse. Marx in commentario demonstravit Lucilium hoc versu C. Metellum Caprarium Macedonici filium irridere, qui in quinto quoque saturarum libro commemoratur (V 200—211), quem praeturam egisse anno 116 Marx coniecit, Cichorius (Untersuchungen zu Lucilius 87 s.) anno 117 ostendit. Cum Metellorum gens Praeneste orta sit, Praenestinorum praecipue locutionem a Lucilio illudi censuit Marx, quibus hanc locutionem propriam fuisse ex inscriptionibus apparet (cf. etiam Ernout l. c.). Cichorius Luciani Müller opinionem secutus (Leben u. Werke d. Lucil. 40) verbis *praetor rusticus* — *praetor urbanus* facete ludere Lucilium demonstrat, usum verborum *tribus urbanae* — *tribus rusticae* secutum, eo ut opinatur consilio, ut verbo *urbanus* eruditionem et politionem notanti

[1]) Cf. etian Lindsay-Nohl, Lat. Sprache 42. 24.

[2]) Hunc Ciceronis locum ad brevis *i* in breve *e* mutationem rettulit Ernout, Le parler de Préneste d'après les inscriptions (Mémoires de la Société de Linguistique 13 [1905—06] 320). At *E plenissimum* brevem vocalem notare non potest, sed litteram productam dicit, cf. Marx, Prol. ad rhet. ad Her. missam 96, e. g. Lucilius 360 s., *si plura haec feceris pila quae iacimus addes e „peila" ut plenius fiat.* Ellendt ad locum verba ad longum *i* et *e* spectare censuit; Piderit ad rusticorum *πλατειασμόν* verba rettulit, qui utramque locutionem continet, idem censuit Jahn ad Brut. 259. Norden De Stilone X.

[3]) Quorum exemplorum illud *pappum Mesium* pro *Maesium* ex Atellana quadam sumptum esse suspicari licet, cuius persona est Pappus.

opponatur vox *rusticus*, quae rudem hominem et illitteratum significat, quod quadrat ad Scipionis de Metello Caprario iudicium a Cicerone traditum (de or. II 267). Sed cum verbum *urbanus* ad elegantiam et eruditionem indicandam hoc tempore nondum usurpetur — primum occurrit in libris ad Herennium missis annis fere 86—82 (v. s. p. 8) — nihil nisi loquendi morem ludificari Lucilium potius credamus, quia hominem Roma oriundum nobili loco natum minime decet loqui eodem modo atque agricolas et messores. Ita etiam Varronem versum intellexisse apparet, cum afferat eum inter testimonia quibus rusticos *Cecilium* et *pretorem* dixisse confirmat. Neque enim hoc Lucili tanti intererat, Caprarium Praenestinorum locutionem sequi, quamquam ad deridendos homines hoc ei satis erat (cf. Quint. I 5, 56), sed optime accidit quod hic sermo etiam apud rusticos Latinos inveniebatur, ita ut facile Caprarius cum illis comparatus e praetore urbano mutaretur in praetorem rusticum.

Haec omnia rustici sermonis propria comprehenduntur ab urbanis latitudinis nota (cf. Norden, De Stilone p. XI), quam pro vitio habent oratores qui elegantem et suavem petunt locutionem (Cic. de or. III 42, cf. II 91)[1]). Vituperat Cicero in oris et vocis praeceptis dandis *gravitatem linguae*, qua rusticos imitantur quidam oratores (de or. III 42), *rusticam asperitatem* (III 44), *illa lata* (III 46), *dilatandis litteris* (Brut. 259); quibus opponit urbanorum *subtilitatem*, *suavitatem* (III 42), *lenitatem* (III 43). Nec eruditos modo et oratores offendere in hac latitudine, si in oratoria locutione occurrit, docet Laberii mimus qui inscribitur *Late loquentes* (cf. Norden, De Stilone X). Laberius ergo rusticos in scaenam duxit, quod comparavit Norden cum Aristophanis Acharnensibus et Theocriti Adoniazusis (XV).

Videmus Ciceronis tempore rusticum sermonem in scaena irrideri. Quod altero a. Chr. n. saeculo nondum fiebat: quamquam enim comicis poetis ludibrio est oppidana locutio — Praenestinos ludificatur Plautus Truc. 690. Trin. 611 — vestigia non sunt quae indicent rusticorum sermonem in comoedia illudi. Monendum autem est pauca servata esse ex Atellanis, in quibus rustica verba saepissime occurrere testatur Fronto (ad Caes. IV 3 p. 62 N.).[2]) Primus Lucilius rusticam vituperat

---

[1]) Qua in re Graecorum doctrinam sequuntur, qui in vitiis oris et linguae habent *πλατειασμόν* (Quint. I 5, 32). *πλατύτητα* Doriensibus propriam esse testatur Demetrius de eloc. 128 (cf. Theocr. 15, 87). V. de latitudine Norden, De Stilone XI cum adn. 3. Cicero quoque de or. II 91 oris pravitatem et verborum latitudinem pro vitio habet. Aliter de *πλατειασμῷ* iudicat Hermogenes *περὶ ἰδ.* I 247, 12 ss. Rabe: lato sono effici *σεμνότητα* contendit.

[2]) Verba vetera et rustica maxima ex parte interisse eo tempore, quo ad urbanae locutionis regulam sermo dirigebatur, docuit Norden, Kunstprosa I 183.

vocem, sed non in ipsis rusticis, sed in urbano quodam nobili, quem non decet rusticus sonus. Paulo post, anno fere 100,[1]) oratores ceteris rustici sermonis propriis neglectis rusticae voci et sono operam dare ex Ciceronis scriptis comperimus. Crassus (de or. III 38 ss.) quorundam oratorum rusticam asperitatem linguae vituperat, unde discimus in publicam orationem iudiciorum et contionum receptam esse de industria sermonis cuiusdam adhuc neglecti vel paene contempti partem. Causam cur rusticos imitentur nonnulli affert Cicero (de or. III 42): *Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem si ita sonet eorum sermo retinere videatur* (cf. etiam Brutus 137. 259). Contentio est de *incorrupta antiquitate* (III 45, cf. *incorrupta quaedam Latini sermonis integritas* Brut. 132), quam assequi plurimi interfuisse illius temporis oratorum ex Crassi copiosa refutatione intellegitur; contendit enim ipse non rusticos sed nobiles familias Roma oriundas antiquam loquendi rationem praebere, praeterea omnes urbanos sive eruditi sive indocti sint melius loqui quam rusticos et peregrinos,[2]) quibus verbis Cicero suam ipsius sententiam exhibet. Quanti momenti fuerit haec quaestio ex eo apparet quod, etsi ad Latinitatis praecepta pertinet, quam ex disputatione depellit Crassus tamquam puerilis doctrinae materiam, tamen non praeteritur. Auctor artis ad Herennium missae Latinitatis copiosam tractationem soloecismo et barbarismo breviter descriptis grammaticae arti tribuit (IV 17), vocem non commemorat, quam fortasse inter barbarismi praecepta habet, nam Quintilianus oris vitia tribuit alteri barbarismi parti, quae non ad scribendum sed ad loquendum pertinet (I 5, 6 ss. 19 ss.) Graecis praecipue vocabulis adhibitis, quia singulorum oris vitiorum nomina in Latina arte non exstent. Cicero barbarismo et soloecismo brevissime commemoratis sententiam suam profert de illis, qui uni cuidam loquendi usui concedant Latine id est recte loquendi laudem. Ipse incorruptam consuetudinem servari censet a veteribus familiis, imprimis Catulorum (off. I 133, cf. de or. III 42. Brut. 133) — laudantur alio loco etiam Iulii Laelii Mucii (Brut. 252) — maxime a feminis (de or. III 45), qua in re eandem rationem sequitur, quam Plato profert in Cratylo (418 b, cf. Norden, De Stilone X 4).[3]) Idem Ciceronis

[1]) Cicero tradit (de or. II 197) L. Cottam tribunum plebis fuisse eo tempore quo Caepio a Norbano accusaretur. Quam accusationem a. 95 fuisse plerique censent, Mommsen a. 103 (Röm. Gesch. II 179 adn.).

[2]) Ex verbis *isti quos nostis urbani* concludendum est certos homines in animo habere Crassum. Cum Soranus in Bruto inter oratores enumeretur (169), etiam illos urbanos, quibus opponitur, oratores esse verisimile est. Suspicari licet ad rhetores Latinos haec verba spectare, qui quam rudes et illiterati sint Cicero affirmare non desinit (cf. Norden, Kunstprosa I 222—24). Cum Plotius ipse Gallus sit, verba ad oratores ab eo doctos spectare videntur.

[3]) Vide porro quae Cicero profert de domesticae consuetudinis utilitate Brut. 210—12.

tempore multis persuasum esse intellegitur ex Catulli carmine, quo putida Arrii locutio deridetur, nam facete fingit poeta matrem, avunculum, avum, aviam Arrii eodem modo locutos esse (84, 5 ss.), unde cognoscitur, quanti usus domesticus aestimetur in bene loquendi studiis. Urbanorum eruditorum ergo sermo secundum Ciceronem Latinitatis summum quasi gradum perhibet, qui propter suavitatem (de or. III 42 s.) bene loquendi laudem, propter incorruptam antiquitatem recte loquendi laudem meretur (*bene loqui, recte loqui* Brut. 258 s.)[1]). In Bruto (258 ss.) Cicero eos enumerat, qui praecipue Latinitati operam dederint, eo consilio ut Caesaris de analogia libris non multo ante editis[2]) locum det in horum studiorum historia, studiaque eorum, qui hac via praeierant, primi Gracchorum, plerique Sullani temporis, ante oculos ponat. Scipionis aetatem recte loquendi laudem non ratione vel scientia, sed bona consuetudine adeptam esse tradit nec studia hoc tempore Latinitati data commemorat, quae tamen fuisse scimus et ex Lucili fragmentis et ex Terentio, qui de sua locutione gloriatur (Heaut. Prol. 46): *In hac est pura oratio.*[3]) Flamininus, qui consul erat 123, quamquam bene loquendi laus ab omnibus ei conceditur, tamen certa ratione eam assecutus esse non videtur; Catuli loquendi suavitas de industria a multis petitur postquam Cotta rusticos imitari coepit. Sisennae Latinitatis studium spectat non ad vocem, cui operam dant oratores adhuc allati, sed ad verborum electionem, aliam Latinitatis partem. Videmus ex hac comparatione non frustra rustico sono imbui orationem ab illis qui rusticos servasse antiquitatem censent, cum non modo Catulum sed etiam Cottam rusticorum imitatorem bene loquendi laudem adeptum esse Cicero tradat (259). Apparet tamen non diu floruisse hanc opinionem, nam in Bruto praeter Cottam neminem affert Cicero qui hanc rationem secutus sit, praeterea Catullus testatur eam probari sententiam quae domestica urbanarum familiarum consuetudine sonum antiquum et incorruptum servari contendebat (84) et Varronem ad linguam Romae usitatam direxisse Latinitatem docet Diomedes (439, 15 = Varro frg. 115 G.-S.) *Latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam.*[4])

---

[1]) Cf. Stolz, Hist. Gramm. d. lat. Spr., hrsg. v. Blase, Landgraf u. a. I 41 ss., qui ascito Quint. VI 3, 107 vocavit urbanitatem „die höhere Potenz der Latinitas". Norden, Kunstprosa I 183 ss. Quae *urbanitas* praeter vocem imprimis totius orationis colorem significat (v. s. p. 51); ad vocem solam notandam Cicero substantivo non utitur.

[2]) Libros de analogia scriptos esse anno 54 censuit Hendrickson, Class. Phil. 1, 1906, 111. 113. Ceterorum virorum doctorum sententias affert ibid. 115 adn. 2.

[3]) De huius temporis Latinitatis studiis ad Stoicam doctrinam accommodatis egit Reitzenstein, M. Ter. Varro u. Johannes Mauropus 90 ss.

[4]) Ciceronem Caesarem Varronem imprimis fuisse, qui Latinitatem ad urbani sermonis regulam dirigerent, ostendit Norden, De Stilone IX s.

Illa ratio, quae rusticos servare antiquitatem incorruptam persuasum habet, etiam apud grammaticos viget, illo quoque tempore, quo rustica vox ex bene loquendi studiis et oratoria locutione iam remota erat. Varro suas de verborum origine coniecturas rusticis formis confirmat (de r. r. I 48, 2) *spica autem quam rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam;* (I 2, 14) *a quo rustici etiam nunc quoque viam veham appellant* (cf. Schuchardt I 54, qui collegit locos ubi rusticorum sermo ad antiquitatem refertur. Norden, De Stilone X, 4). Sed tamen grammatici corrigere usum urbanum ex rustica consuetudine non conantur. Quo magis contra sermo cotidianus sua via progressus proprias formas progignit et publica oratio ad antiquitatis regulam directa eo statu detinetur, quem veteres scriptores praebent, eo magis verba ex sermone vel rusticorum vel peregrinorum in publicam orationem delata pro vitiis habentur, quos barbarismos ars grammatica vocat, ut Tingae exemplum supra allatum docet (p. 65). Quin etiam Gellius tradit (XIII 6, 3; cf. XIII 6 tit.) a veteribus auctoribus illud sermonis vitium, quod aequales eius barbarismum dicunt, verbo *rusticus* significari, cuius rei testimonium affert Nigidi Figuli verba ex grammaticis commentariis sumpta: *Rusticus fit sermo, si aspires perperam.* At non quadrat ad hanc Gellii sententiam in arte rhetorica ad Herennium missa barbarismum et soloecismum ex Graeca arte inter Latina vocabula recipi; etiam apud Ciceronem occurrit *barbare dicere* vel similia (Or. 157. Tusc. II 12. Att. I 19, 10 *barbara et soloeca).* Non magnam fidem habendam esse Gellio his in rebus ex eo apparet quod pro verbo *soloecismus* ante Augusti aetatem forma *soloecum* usos esse Romanos dicit: (V 20, 6) *soloecismum haud scio an unquam dixerunt.* Occurrit autem forma *soloecismus* apud Lucilium (1100) et in arte ad Herennium missa (IV 17), unde concludi potest artis grammaticae vocabula non plane percontatum esse Gellium. Figulus eo loco quem affert Gellius verbo *rusticus* non pro voce *falsus* utitur, quod concludit Gellius defraudatus fortasse ea re quod littera H falso adiecta vel detracta in barbarismi specie habetur a grammaticis (cf. Quint. I 5, 19), sed vi translata, qua non ad rusticum ipsum sed ad hominem rudem et illitteratum aliqua res pertinere significatur,[1]) qui usus etiam apud Ciceronem invenitur ad linguam relatus: Or. 150 *Nemo ut tam rusticus sit qui vocales nolit coniungere* (cf. de hac vi s. p. 20 ss.). Nam litteram H perperam usurpari ab variorum ordinum

---

[1]) Falso locum interpretatus est Corssen (Aussprache, Vokalismus u. Betonung d. lat. Sprache I 49), qui conclusit rusticos litteram H dixisse eo quoque tempore, quo in urbe iam obmutuit. Quam sententiam refutavit Schuchardt I 130. Etiam Lutsch conclusit ex Figuli verbis rusticos sic locutos esse, quia usum translatum verbi *rusticus* neglexit.

hominibus hoc tempore observatur.[1]) Nec apparet ex verbis Nigidii allatis, utrum dicat falso loco aspirare homines grammaticae imperitos (quod censuit Schuchardt I 130), an in animo habeat putidum aspirandi modum quem Catullus depingit Arrium illudens (84). Non audiri litteram H et in urbe et ruri cognoscitur ex Varronis verbis (de l. L. V 97) *quod illic* (apud Sabinos scil.) *fedus, Latio rure edus: qui in urbe ut in multis A addito aedus* (cf. Lindsay-Nohl, Lat. Spr. 62). Arrius se eleganter loqui putat si pro *commoda chommoda* dicit, quod docet non perverse eum loqui sed putide; similiter forma *hinsidias* intelligenda esse videtur. Testatur Quintilianus certa quadam aetate morem fuisse H saepe adhibere: I 5, 20. *Erupit brevi tempore nimius usus, ut „choronae chenturiones praechones" adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est.* Hunc morem putidae locutionis qui bene loquendo studebant eo facilius despernabant, quod antiquitatis auctoritatem contra elegantiam temere vindicatam afferre potuerunt, ut facit Catullus. Mox obsolevisse illum morem ex Nigidii vituperatione intellegimus, qui litterae H falsum usum rudis hominis esse censet. Comparare licet quod Cicero de extrema littera S verborum in —us exeuntium detracta dicit (Or. 161 *quod iam subrusticum videtur, olim autem politius).* Nigidius ergo neque rusticorum proprietatem illis verbis denotat neque quendam sermonem rusticum proprias leges sequentem in animo habet.

Restat ut de verbo *rusticitas* breviter agatur, quod occurrit apud Quintilianum (VI 3, 17), cum nonnulli viri docti ad grammaticam tantum structuram rusticitatem referant.[2]) Quintiliani autem urbanitatis definitio satis docet illam cum loquendi tum dicendi virtutem, cui rusticitas contraria est, ad colorem eruditum et elegantem orationis praecipue spectare quem non tam verba sonus usus efficiunt quam sensus ipse (cf. VI 3, 107). Praeter hunc habitum urbanitati contrarium rusticitas apud Quintilianum etiam usum et verba, vocem denique complectitur, quam ad designandam usurpatur una cum verbo *peregrinitas* XI 3, 30. Et hic vocis sonus et color ille totius orationis vituperantur in publica oratione, ex qua iam pridem omnia rusticorum vestigia depulsa esse vidimus.

---

[1]) De aspiratione v. Norden, De Stilone X.
[2]) Stolz l. c. (v. p. 69, 1) et Sittl, Was ist Vulgärlatein 386.

Conspectus librorum qui saepius afferuntur.

E. ARNDT, De ridiculi doctrina rhetorica. Diss. Bonn. 1904.
F. HEERDEGEN, Über Bedeutung und Gebrauch des Wortes Urbanus im älteren Latein. Eine historisch-semasiologische Untersuchung. Universitätsprogramm Erlangen 1924.
— Agrestis und Rusticus. Zwei lateinische Wortbegriffe in ihrer historisch-semasiologischen Entwicklung. Verhandlungen der 55. Philologenversammlung Erlangen 1925 (1926) 25—27.
O. LUTSCH, Die Urbanitas nach Cicero. Festgabe für Wilhelm Crekelius 1881, Elberfeld 1881 (80—95).
E. NORDEN, Die antike Kunstprosa. Berlin und Leipzig 1899.
— De Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio. Index lect. Gryphiswald. 1895.
R. REITZENSTEIN, M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita. 1901.
— Werden und Wesen der Humanität im Altertum (Kaisergeburtstagsrede). Straßburg 1907.
O. RIBBECK, Agroikos. Eine ethologische Studie. (Abhandlungen der Sächs. Ges. d. Wiss. 10, 1, 1885.)

Vita.

Eva Frank nata sum ante diem VII. Kal. Novembres anni 1904 Essendiae patre Rudolf, qui anno 1917 morte mihi ereptus est, matre Gertrud e gente Schilling. Fidei addicta sum evangelicae. Litteris imbuta sum primum in schola Essendensi cui nomen est Viktoriaschule, ab anno 1918 in Gymnasio Ernestino Gothensi, ubi maturitatis testimonium accepi vere anni 1924. Vratislavae in universitate studiis me dedi philologicis per unum annum; deinde per unum semestrium Heidelbergae versata Berolinam me contuli, ubi per septem semestria scholas audivi. Sodalis fui Proseminarii Vratislavensis per unum semestrium, Berolinensis per tria, seminarii Berolinensis per duo. Praeterea benigne me admiserunt ad exercitationes archaeologicas L. Curtius Heidelbergensis, ad historicas U. Wilcken et E. Meyer † Berolinenses. Docuerunt me viri docti Vratislavenses Focke Kornemann Kroll Malten Siebs, Heidelbergenses Curtius Gundolf † Meister Regenbogen Schweitzer Täubler, Berolinenses Beckmann Dessau Deubner W. Jaeger P. Maas E. Meyer † Norden Petersen Spranger Wilamowitz † Wilcken. Quibus omnibus maximas habeo gratias, imprimis Eduardo Norden, qui in hac commentatione conscribenda consilio et opera benignissime me adiuvit.